

## **APPENDICES**



Breve originale Pauli IV, in pergamina exaratum, continens facultates Aloisio Lippomano ad nuntiaturam eius Polonam  
6 VI 1556 concessas (Venetiis, Bibl. Querini Stampalia, Classe I, ms. 28, nr 16), vide N. 96

## A. 1

**Sigismundus Augustus, rex Poloniae  
Iulio III, pontifici maximo**

Cracoviae, 12 II 1555.

*Petit, ut legatum suum ad synodum, quae de rebus fidei tractatura est, tempestive mittat.*

**Or.:** olim Napoli, AS, Diplomata Farnesiana, n. 136 (destructum).

- **Cop.:** Kraków, BPAN, ms. 8466 (Theca Romana 126) f. 398r-399r. In margine ad caput documenti manu A. Darowski: "[descripta] 4/4 [18]98", post tex-  
tum vero eadem manu inscriptio, in dorso documenti originalis posita, et  
adnotatio, indicans epistulam in charta pergamenta exarata et maiore  
sigillo regio praeditam fuisse.

**Reg.:** Warszawa, AGAD, Lib. Legat. 16 f. 133v-134r.

- **Cop. coaeva:** Warszawa, AGAD, Sucha, ms. 22/32 f. 50r-v (Stanislai Górska).

Beatissime Pater et Domine, D.ne clementissime. Pedibus Sanctitatis V.rae osculatis, me Regnumque et diciones meas diligenter illi commendo.

Non sine magno animi dolore aliquoties iam antea per litteras et Orato-rem meum Sanctitati V.rae nunciavi nova de religione dogmata, quae vici-  
nam Regno meo Germaniam perturbarunt, in Regnum quoque dicionesque  
meas irrumpere<sup>1</sup>. Cui malo tametsi equidem, quantum per leges Regni mei  
licuit, pro mea et in Deum pietate et veteri in rem christianam studio ac fide,  
obstiterim, tamen iam tam late longeque serpit, tamque alte radices agit, ut  
ne vi quidem ulla sine summo rerum omnium motu et periculo extirpari pos-  
se videatur.

Quapropter Rev.mis in Christo Patribus, D.no Archiepiscopo Episcopis-  
que Regni mei, sicuti in omnibus aliis eiusmodi difficultatibus, ita in hac  
consultoribus usus, leniores quaspiam eius contagionis tollendae rationes  
scrutatus sum. Qui re diu multumque cogitata, accurateque animo expensa,  
ad malum istud sine rerum magno motu tollendum nihil [134r] aeque vali-  
turum esse responderunt, quam ut Ordinis Ecclesiastici Synodo edicta, cum  
primariis dissidii istius authoribus sermo de Religione fraterne habeatur<sup>2</sup>.  
Fore enim, Dei Optimi Maximi beneficio, ut cum ipso purae, veteris, christia-

<sup>1</sup> Cfr. primam instructionem ad usum oratoris regii Adalberti Kryski a. 1552 compositam, Wojtyska PP, p. 341.

<sup>2</sup> Synodus huiusmodi episcopi indicere statuerunt, cum synodus provincialis Petricoviensis mense Novembri a. 1554 celebrata nullos attulerit fructus, ea condicione apposita, ut summus pontifex consen-  
tiret, quo et "protestantes" ad eam vocarentur, cfr. Pociecha AMD, p. 79.

naeque Religionis quasi splendore illustrati, tum placida Ecclesiae Praesidum dehortatione revocati, ad sanitatem redeant, in sinumque Matris Ecclesiae se recipere, quam apertos errores tueri et sua sponte se ab illa excludere malint. Id autem maiorem ut vim authoritatemque habeat, Legatum Sanctitatis V.rae Synodo non interesse solum, sed tanquam pacificatorem praesse oportere.

Cum itaque huic Synodo Iulius Mensis Rev.morum D.norum Archiepiscoporum et Episcoporum authoritate atque consensu praestitutus sit, supplico Sanctitati V.rae, velit virum quempiam pium et doctum ad illud tempus in Regnum meum Legatum cum amplissima potestate mittere, cuius autoritate et studio non solum manifesti nonnullorum errores extirpentur, verum etiam praesens ille in religione consensus et quae hunc consequitur Ordinum concordia revocetur. Id Sanctitatem V.ram palam ab se impetrari passuram esse confido, non solum quod, pro paterna sua in me populosque divinitus imperio meo commissos charitate, id se mihi gratificaturam esse antea pollicita sit<sup>3</sup>, sed etiam quod intelligat ad pietatis et rei christiana, cuius studiosissima est, propagationem magnopere pertinere. Deus Optimus Maximus Ecclesiae suae Sanctitatem V.ram diutissime incolumem conservet. Cui etiam atque etiam fidelem observantiam meam defero. Datum Vilnae, die XII Februarii, Anno Domini M.D.LV, Regni mei et Dominiorum meorum XXV.

Eiusdem Sanctitatis V.rae obsequentissimus filius

Sigismundus Augustus Rex Poloniae  
manu propria subscripsit

## A. 2.

### **Professio fidei nobilium Poloniae in comitiis Petricoviensibus promulgata**

Petricoviae, 3 V 1555.

*Confessio fidei (iuxta Confessionem Augustanam, a Ioanne Brenz nonnihil mutatam et nomine Christophori ducis Wirtembergensis a. 1552 Concilio Tridentino porrectam, composita).*

**Cop. coaeva:** BV, Barb.Lat. 6507 f. 9r-10r. In f. 10v eadem manu: "Haereses Polonis ascriptae" et subtus alia manu: "Ricevuta con lettere de' 26 d'Agosto Bruscelle" et manu secretarii Pauli IV: "Pier". Haec versio Latina, po-

---

<sup>3</sup> Quod Iulius III a. 1553 per Albertum Kryski pollicitus est, cfr. Wojtylska PP, p. 346.

stulante Lippomano apparata, deinde per nuntium Bruxellensem, Hieronymum Muzzarelli, Romam transmissa erat (cfr. N. 34). Originale Polonicum, a Stanislae Lutomirski compositum, deperiit. Eius exemplar, una cum responsis episcoporum ad singulos articulos, 23 V 1555 in comitiis Petricovienibus propositum, edidit Ludovicus Finkel (p. 276-285). Haec versio Latina concordat ad verbum cum 2 versionibus Germanicis, quarum una (*Neüwe Zeyetung und Warhaffte Bekandtnuss des Christlichen Glaubens auff dem Landtag zu Piotrkow durch die gesandten des Kunigreich Polen geschehen auff den dritten tag Maii Anno M.D.LV*) fuit "erstlich aus Polnischer Sprach zu Latein gemacht, hernach aber aus dem Latein verteutsch[t] und gedrucht zu Strasburg bei Thiebold Berger" - verisimiliter adhuc a. 1555 (exemplar Cracoviae in Bibliotheca Czartoryski, sign. 1415 I), altera vero, etiam in titulo cum nostra versione Latina concordans (*Ein kurtze Abschrift der Bekann-nus des Hl. Christlichenn Glaubens so auf den Landtagk zu Peterkoif durch die Legaten des Königreichs Polen geschehen ist den Dritten May 1555*), edita est Regiomonti non nisi mense Septembri a. 1556 (cfr. Finkel, p. 269).

**Brevis descriptio professionis fidei christianaæ  
in Comitiis Petrocoviae (vulgo Piotrkow), per Legatos Regni Poloniae factae  
tertio die Maii 1555**

Omnis in peccatis orti et nati sumus<sup>4</sup>, et omnes intelligentiae humanae sicuti tenebrae<sup>5</sup>, ita, ut nedum Dei, tantum abest nostri, cognitionem habere possimus. Proinde dedit Deus decem praecepta Legis<sup>6</sup>, ut ex eis, veluti caligantes, oculi nostri aperiantur<sup>7</sup> et illustrentur, ex illisque infirmitatem humanam agnoscamus<sup>8</sup>.

Mittit nobis Deus pater filium suum unigenitum<sup>9</sup>, praeceptorem, salvatorem et satisfactorem nostrum.

Deum nemo vidit unquam, neque sapientia humana agnovit<sup>10</sup>. Proprie-  
venit Christus, ut illum nobis patefaceret et voluntatem eius. Christus igitur  
est lumen huius mundi, quem qui sequitur et a verbo eius non deflectit, ille  
ambulat in aeterna luce<sup>11</sup>. Hunc solum doctorem et praeceptorem ille aeter-  
nus mundi Dominus audire iussit et illi obsequi praecepit<sup>12</sup>. Quandoquidem  
ille Dei filius mentiri nescit, et quicumque eius verbo non reguntur, etiamsi  
sint potentissimi et sapientissimi, mentiuntur. Ille nobis patefecit omnia,  
quaecumque ad salutem aeternam pertinere videbantur. Sine illo nemo ho-

<sup>4</sup> Ps. 50, 7. Notulae ad Sacras Scripturas lectorem remittentes (ad capita tantum; numeri ad versus remittentes ab editore adiunguntur) in hoc scripto in margine sinistro positae sunt.

<sup>5</sup> Ioan. 3, 19 et 12, 35 (in ms.: Ioan 5 et 9).

<sup>6</sup> Deuter. 5 (in ms.: Reno 3).

<sup>7</sup> Matth. 9, 30 (in ms.: Math. 2).

<sup>8</sup> Ioan. 5, 14.

<sup>9</sup> Galat. 4, 4 et 1 Ioan. 4, 9 (in ms.: Corin. 10 et Ioan. 1).

<sup>10</sup> Ioan. 1, 18 (in ms.: Ioan. 10 et 8).

<sup>11</sup> Ioan. 8, 12.

<sup>12</sup> Matth. 17, 5 (deest in ms.).

minum iram Dei placare potuit. Huic deferunt omnes prophetae et testantur credentes in filium beatos esse<sup>13</sup>.

Ille solus nos liberos facit ab ira Dei, quandoquidem operibus nostris id non meremur. Neque est sub coelo res ulla, quae nos salvare possit praeter illum<sup>14</sup>.

Ergo cuicunque alteri attribuitur [honor] et laus debita, nisi soli Christo, male attribuitur, nam fit blasphemia contra Deum. Hinc filius Dei meritum passionis suae per Evangelium, quod debet unicuique sua materna lingua praedicari, et per sacramenta credentibus verbo illius [9v] attribuit, videlicet per baptismum et per usum [sic] corporis et sanguinis sui ad remissionem peccatorum effusi.

In his sacramentis testamentum Domini est nobis obsignatum<sup>15</sup>, quod qui mutare audet, maledictus est. Alibi itaque sacramenta non inveniemus, nisi ubi verbo Dei alligata sunt, nam traditiones humanae non consentientes verbo sunt idolatria, praesertim quando in sede divina collocantur. Hoc etiam ex preecepto Christi<sup>a)</sup> didicimus, solum Deum patrem esse adorandum<sup>16</sup>, qui solus est scrutator cordium<sup>17</sup>, quod nulli creaturae inest. Et habemus preeceptum in vetere lege: Qui alium Deum adoraverit praeter hunc, occidatur<sup>18</sup>. Ad hunc Deum mediatorem et intercessorem alium non habemus, praeter Iesum Christum solum<sup>19</sup>.

Patet inde Deum non alligari verbo suo ad statuas vel imagines. Sacramenta baptismatis et caenae Domini nobis credentibus remissionem peccatorum in Christo adferunt. Praeter hoc nullis aliis utuntur Christiani.

Aliae divinae ordinationes, ut matrimonium, ministrorum Ecclesiae confirmationes, non adferunt nobis remissionem peccatorum, quia sunt dignitates inferiores, etsi illis non contemnimus.

Pro mortuis oblationes faciendas esse negamus, quia si viventes Deum agnoverunt, collaudarunt, uti debebant, salvati sunt; sin minus, contra, misse et vigiliae et alia eius modi hominum deliramenta nihil eis prodesse poterunt. De hoc testatur<sup>b)</sup> verbum Dei: Qui credit in filium Dei, non condemnabitur; qui non credit, iam iudicatus est<sup>20</sup>.

De dormientibus vetat nos esse sollicitos Paulus<sup>21</sup>. Dum in hoc saeculo sumus, tum orationibus tum consiliis invicem posse nos iuvare certum est. Cum autem ante Tribunal Christi venerimus, nec Iob, nec Daniel, nec Noe rogabunt pro quoquam, sed unusquisque portabit onus suum<sup>22</sup>.

<sup>13</sup> Cfr. Acta 13, 23-28.

<sup>14</sup> Acta 4, 12.

<sup>15</sup> Hebr. cap. 7-10 passim (in ms.: Gala. 1).

<sup>16</sup> Matth. 4, 10 (in ms.: Math. 23).

<sup>17</sup> 1 Reg. 16, 17 et alia (in ms.: Reg. 8).

<sup>18</sup> Jer. 12, 17.

<sup>19</sup> 1 Tim. 2 (in ms.: Ioan. 14, Tim. 2).

<sup>20</sup> Marc. 16, 16 (in ms.: Ioan. 3).

<sup>21</sup> 1 Thess. 4, 13.

<sup>22</sup> Galat. 6, 5 (deest in ms.).

Hic vita ammittitur aut tenetur, hic saluti aeternae cultu Dei et fructu [?] [10r] providetur nobis. Post vitam autem non est locus paenitentiae<sup>23</sup>, nec ullius satisfactionis effectus; morum corrigendorum nullus alias quam in hac vita locus, nam post hanc vitam id quisque habebit, quod in hac sibimet conquisierit<sup>24</sup>.

Primum: fides Catholicorum divina [a]uthoritate credit esse regnum coelorum, unde, ut dictum est, non baptizatus excipitur.

Secundum: credit gehennam, ubi omnis apostata vel a fide Christi alienus supplicia experitur.

Tertium: penitus ignoramus, immo nec esse in scripturis sacris reperimus professionem nostram fidei, verbum Dei sanctissimum, ut mandata Dei tenemus.

De traditionibus autem humanis ita Deus loquitur: In vanum me colunt doctrinis et mandatis hominum<sup>25</sup>. Item: Omnis plantatio, quam pater meus coelestis non plantavit, eradicabitur<sup>26</sup>.

Ex Polonico sermone in Latinum versum  
per P. L. M. O.

a) *In ms.: Christo*

b) *In ms.: testantur*

### A. 3.

**Episcoporum Poloniae  
in comitiis Petricoviensibus  
in causa religionis protestatio**

Petricoviae, 20 V 1555.

*Instrumentum notariale, in quo episcopi, descriptis prius suis ipsorum conatibus ad haereses in Polonia coercendas susceptis et postulationibus nobilium, ut rex - antequam ad tractandam finium contra Turcas et Moscovitas defensionem accedat - negotium religionis primum conficeret expediretque (quamobrem Sigismundus Augustus a summo pontifice impetrare constituit, ut Concilii Nationalis celebrationem permitteret et ad eius usque conclusionem episcoporum in haereticos iurisdictionem suspenderet), affirmant se totum hoc negotium*

<sup>23</sup> In ms. nota marginalis: "Augustinus 60<sup>o</sup> sermone de tempore".

<sup>24</sup> In ms. nota: "Augustinus". Cfr. *Contra Faustum*, cap. 4 (Migne PL 42, col. 513).

<sup>25</sup> Exod. 20, 7.

<sup>26</sup> Matth. 15, 13.

*summi pontificis arbitrio relinquere, simulque contra iurisdictionis ipsorum in haereticos suspensionem protestantur.*

**Cop. autenticata:** AV, A.A. I-XVIII, n. 6540 f. 194r-195v. In f. 196v alia manu: "II. Protestatio Aepi Gnesnensis et aliorum Eporum Regni Poloniae in Comitiis Pietrovienisbus ne decernatur quicquam de rebus religionis nec de Concilio nationali sine consensu Sedis Apostolicae, 20 Maii 1555". Hic textus adjunctus fuit epistulae episcoporum ad summum pontificem die 21 V 1555 datae (cfr. A. 4).

- **Ed.:** Theiner VMPL II, p. 577-578.

IN NOMINE DOMINI. AMEN. Per hoc praesens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter et sit notum, quod anno a Nativitate eiusdem millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto, inductione tredecima, die vero Lunae, vigesima mensis Maii, Sede Sanctae Romanae Ecclesiae post obitum faelicis recordacionis Marcelli Papae secundi vaccante [sic] anno primo, Petricowiae, in palacio Ser.mi Principis et Domini, D.ni Sigismundi Augusti, Dei gratia Regis Poloniae, Magni Ducis Lithuaniae, Russiae, Prussiae ac Masowiae etc. domini et heredis, ubi de more Sua Maiestas cum Senatu Regni Poloniae consilia facere consuevit, in mei, Notarii publici, et testium infrascriptorum ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum praesencia, personaliter constituti Rev.mi in Christo patres D.ni Nicolaus Dziergowski, Dei gratia Gnesnensis, Legatus natus et Primas, Faelix Ligeza Leopoliensis, Metropolitanarum Ecclesiarum Archiepiscopi, Andreas Zebrdowski Cracoviensis, Ioannes Vladislawiensis et Pomeraniae<sup>27</sup>, Andreas Czarnkowski Posnaniensis, Andreas Noskowski Plocensis, Ioannes Dziaduski Premisiensis et Iacobus Uchanski Chelmensis, Dei gratia Episcopi, insimul congregati, tenens et habens idem Rev.mus D.nus Gnesnensis Archiepiscopus suis in manibus quandam protestacionis papiri cedulam, eandem mihi, Notario publico infrascripto, porrexit. Cuius tenor de verbo ad verbum sequitur et est talis:

Quamvis ab inicio statim ad haec usque tempora, quando primum in Germania haeresis nata est, spargique deinde et serpere in gente illa coepit, tam a praedecessoribus nostris, Rev.mis Poloniae Ordinariis, quam a nobis quoque, qui in eorum successimus locum, summo semper studio cavebatur, ne qua labes ex ea ipsa haeresi in hoc Regnum inferretur, ne non haec vicinitas et commercia cum hominibus, pravis imbutis et infectis opinionibus, aliquam nobis pestem afflarent, tamen fieri non potuit, ut haec diligencia nostra eum haberet successum, quem optabamus, quo prorsus provinciae Regni huius ab omni infectione essent liberae. Cooperunt namque primum levia incendia sese exerere ex finitimorum hominum commerciis. Quae licet per nos

---

<sup>27</sup> Drohojowski.

saepius fuerint restincta, auctoritate ad id Ser.mi Principis nostri implorata, tamen saepius deinde erumpencia, fatali quadam temporum calamitate lacus hoc Regnum pervaserunt et in paenitiora eius loca penetrarunt, non sine [194v] maximo dolore nostro, quibus mors optanda est, quam aliqua religiosis Christianae in Regno novacio expectanda.

Porro, quia nos tantis malis resistentes id pro virili nostra sedulo conatus sumus, ut illa averteremus, nonnullos ex ordine Ecclesiastico pravorum dogmatum authores non solum ecclesiastica censura perstrinximus, sed etiam poenis legittimis in eos animadvertisimus; non paucos item ex ordine Equestri in ius vocavimus atque iuris ordine, in crimen haereseos servari solito, contra eos processimus. Quae res subito maximarum et gravissimarum turborum in Regno causa existit, ingensque inde odium in nos, Ecclesiasticos, saecularium personarum exarsit, indigne fermentibus omnibus sentencia nostra bona eorum confiscari ipsosque vita et honore privari debere<sup>28</sup>. Has enim poenas, iure Divino et humano dictante, execrabile haereseos crimen post se trahit, ac praeter aeternam animae damnationem, his etiam temporibus malis participes sui involvit.

Videns itaque Ser.mus et Clementissimus Princeps noster Sigismundus Augustus, Dei gratia Rex Poloniae etc., quanto in discriminē ex hac ordinis perturbacione Regnum suum versaretur, metuensque ne ex huiusmodi dissidiis aliquid deterius eveniret, Turcarum praesertim, immanissimorum Christiani nominis hostium, necnon Moschorum et Tartarorum exercitibus finibus Regni iam iam incumbentibus, quorum illi aliquot iam arces in Hungaria, huic Regno finitimas, a Cracovia, civitate primaria, non plus fere quam quindecem miliaribus distantes, anno superiore occuparunt<sup>29</sup>; ipsi vero incursionibus suis, quas contra foedera crebriores facere consueverunt, non parvum detrimentum dominiis suaē Maiestatis minantur. Cupiens pro sua clementia regia rem tam periculosam Reipublicae moderatis componere consiliis, Comitia publica anno praesenti ad diem vigesimam secundam Aprilis dicere dignatus est, in quibus in primis de componendis istis ordinum dissidiis tractari coeptum est. Quoniam vero eiusmodi dissidia nequaquam componi ac sedari posse intelligebat, nisi prius scismata in religione tollerentur, ita ut omnes idem saperent et docerent, eamque rem alia ratione confici non posse quam authoritate Concilii universalis, quod quamvis iam aliquoties inceptum et celebrari [195r] pertentatum fuerit, tamen ad effectum suum, peccatis fortasse nostris merentibus, hactenus nunquam pervenire potuit<sup>30</sup>.

<sup>28</sup> Summa fuit nobilium indignatio, cum a. 1551 epus Cracoviensis Andreas Zebrzydowski Conradum Krupka Przecławski ante tribunal suum in ius vocasset, cfr. H. Barycz, *Proces Konrada Krupki Przecławskiego o wiare w r. 1551* [Processus Conradi Krupka Przecławski de fide a. 1551 celebratus], in Barycz RRB, p. 284-296.

<sup>29</sup> Agitur de arcibus Ujlak (Vylok) et Murány (Moran) in Scepusio, autumno a. 1554 a Turcis expugnatis (cfr. Lanckorońska DARP, X, p. 37).

<sup>30</sup> Secunda pars Concilii Tridentini 28 IV 1552 interrupta est ob bellum, quod paulo antea inter Carolum V et Henricum II coeptum est, cfr. Jedin GKT III, p. 391.

At vero universus Equestris ordo et bona pars Senatus nulla ratione adduci potuit, ut prius de Turcarum bello aliqua inirentur consilia, quam eorum postulatis de Religione satis fieret. Quamobrem Sacrae Regiae Maiestati visum est petere a Sancta Sede Apostolica, quo Nationale Concilium hic in Regno Poloniae indici agique liceat, per quod, authoritate eiusdem Sedis accedente, controversiae de Religione exortae componi possent. Illudque, ne res in longum extraheretur, ut quanto celerius fieri potest ediceretur cupiebat; interea vero, ut Rev.mi Regni Poloniae Ordinarii a processibus suis ordinariis ad Concilium illud supersederent, contra eos praesertim, qui privatum sub utraque specie Eucharistiam Sacram sumere inceperant, aut qui Sacerdotes foverent coniugatos, seu qui in celebratione Missarum vulgari potius lingua, quam Latina uti mal[!]ent; caeterum in aliis rebus ut nulla admitteretur innovacio, Sacramentorum observacio et usus ut idem retineatur in Ecclesiis, quem semper Catholici observarunt et etiam nunc observant, eaque ut nullis incesserentur blasphemis; ritus denique a Sancta Romana Ecclesia alieni ne inducerentur, sed ut omnia prorsus ad Concilii diffinitionem essent integra, quae publico Ecclesiae consensu ab omnibus hactenus rata sunt habita<sup>31</sup>.

Quare nos Nicolaus Dzyergowski, Ecclesiae Metropolitanae Gnesnensis Archiepiscopus, Legatus Natus et Regni Primas, una cum Rev.mis Dominis eiusdem Regni Ordinariis, videlicet Faelice Ligeza, Leopoliensi Archiepiscopo, Andrea Zebrdowski Cracoviensi, Ioanne Vladislawiensi et Pomeraniae, Andrea Czarnkowski Posnaniensi, Andrea Noskowski Plocensi, Ioanne Dzieduski Premisliensi, Iacobo Uchanski Chelmensi Episcopis, in dictis Comitiis tunc praesentibus, diligenter expendentes muneris et officii nostri partes, attentesque, quod inconsulto capite nostro, Sanctae videlicet Romanae et Universalis Ecclesiae Summo Pontifice, nichil in eiusmodi rebus ad negocium Religionis pertinentibus attemptare nobis liceret. Consensimus quidem, ut de Concilio Nationali ac Religionis [195v] controversiis ad Sanctam Sedem Apostolicam refferetur [sic] eiusque iudicio et arbitrio res tota committeretur, quandoquidem Sedes illa aliarum omnium Ecclesiarum sit moderatrix et magistra. Sed quantum ad suspensionem iurisdictionis processuum Ordinariorum contra haereticos et reliqua contra sanctiones Sanctae Catholicae Ecclesiae attentata nequaquam consentimus, neque id nobis licare putamus. De quo etsi in Senatu coram Sacra Regia Maiestate et universis Senatoribus quilibet nostrum ex loco suo publice solemniter protestatus sit, tamen et coram te, Notario publico, solemniter protestamur et desuper petimus nobis a te fieri tot quot fuerint necessaria instrumenta, vosque hic praesentes requirimus in testes.

---

<sup>31</sup>Cfr. *relationes, dissidentibus in fide faventes, de eiusmodi tractatibus comitiorum, quae quidem Petricoviae ad diem 22 IV 1555 indicta erant, sed non nisi 29 eiusdem mensis incepta sunt, apud Lubomirski, p. 1-138 et Borawska-Małek, p. 20-29.*

Super quibus omnibus et singulis supradicti Rev.mi D.ni Nicolaus Archi-episcopus, Episcopi ac eorum quilibet petiit et requisivit per me, Notarium publicum infrascriptum, sibi fieri et tradi unum, duo aut plura, publicum seu publica, instrumentum seu instrumenta. Acta sunt haec Petricoviae, sub anno, indictione, die, mense et loco quibus supra, praesentibus ibidem Ven.libus D.nis Petro Miskowski, Scholastico Cracoviensi, et Paulo Glogowski, Archidiacono Plocensi, testibus ad praemissa vocatis et rogatis.

#### A. 4.

**Episcopi Poloniae  
pontifici maximo proxime eligendo**

Petricoviae, 21 V 1555.

*Commendant nuntium ipsorum, Franciscum Krasiński, qui ei exponet pericula, in quibus religio catholica in Polonia versatur.*

**Or.**: AV, A.A. I-XVIII, n. 6540 f. 197r. In f. 198v inscriptio, sigilla 5 episcoporum et alia manu summarium cum nota: "Responsum fuit". Haec epistula, quam episcopi scripserunt, cum certo sibi persuasissent tempore, quo Krasiński Romam pervenerit, novum papam iam electum iri, inscripta erat "ex post" Paulo IV (eadem manu ac textus litterarum), non prius procul dubio quam nuntius in Urbem profectus esset (ex Polonia autem discessit initio m. Augusti a. 1555, cum de electione Pauli IV iam constaret, cfr. Wojtyska PP, p. 352).

- **Cop. XIX saec.**: AV, Carte Farnesiana 17 f. 83r (Augustini Theiner).
- **Ed.**: Theiner VMPL II, p. 576-577.

Sanctissime et Beatissime in Christo pater et Domine D.ne clementissime.

Post oscula pedum beatorum, perpetuam servitutem orationesque nostras V.rae Sanctitati humillime deferimus. Cum in tanto discrimine Religiosae Catholicae, quod vel maximum incrementum ex praesentibus Comitiis Piotrcoviensibus capiet, nullum alium tutiorem salubrioremque portum, praeter Sanctitatem V.ram Sedemque hanc Sacrosanctam Apostolicam habemus, ad quem secure in praesentibus nostris adversitatibus confugere possumus, mittimus hunc Nunctium nostrum, Ven.lem D.num Franciscum Crasinum, Archidiaconum Calisiensem et Canonicum Cracoviensem, ad Sanctitatem V.ram, ut ingentia pericula, in quibus Religio Catholica ordoque no-

ster in Regno Poloniae versatur, nomine nostro Sanctitati V.rae exponeret, salubriaque remedia, quibus tantis malis occurri possit, ab eadem supplex peteret. Cui ut indubiam fidem in omnibus adhibere, benignasque aures praebere dignetur, a Sanctitate V.ra maiorem in modum rogamus.

Quod superest, Deus Optimus Maximus Sanctitatem V.ram diutissime sospitem atque incolumem conservare dignetur, suoque Spiritu Sancto ipsam corroboret, ut rebus fidei Catholicae, iam plane in nostro Regno inclinatis, sapientia et autoritate sua, quanto celerius potest, subveniat. Datum ex Comitiis Piotrcoviensibus, XXI die Maii, Anno Domini M.D.L.V.

Sanctitatis V.rae

Sacellani et creature

Nicolaus Aepus Gnesnensis

Legatus Natus et Regni Poloniae Primas  
et reliqui Regni Poloniae Episcopi

### A. 5.

**Paulus IV, pontifex maximus**  
**Sigismundo Augusto, regi Poloniae**

Romae, 26 V 1555.

*De sui ad Petri cathedram electione certiorem eum facit et nuntiat sibi in animo esse renovationem Ecclesiae perficere. Significat se mox nuntium suum in Poloniam missurum esse.*

Reg.: AV, Arm. 44, ms. 4 f. 65r-v.

Char.mo in Christo filio nostro Sigismundo<sup>a)</sup> Augusto, Poloniae Regi Illustri

PAULUS PAPA IIII

Char.me in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem. Quando, ita Domino volente, ad eius gregis custodiam Ven.les Fratres nostri S.R.E. Cardinales, in Conclavi congregati, uno omnium consensu, quarto ab hinc die in locum sanctae memoriae Marcelli secundi, Pontificis Maximi, per-

sonam nostram delegerunt<sup>32</sup>, sentimus quidem nos, quantum onus debilibus humeris nostris impositum sit, sed cum divinae voluntati nulla in re, quantumvis [65v] gravi, reluctari debeamus, eo animo ac spe id laturi sumus, ut Deus idem omnipotens imbecillitati nostrae sua ope adsit, praesertim cum, ut ipse videt, qui scrutator est cordium<sup>33</sup>, nos hoc obeundo munere nihil ante oculos nobis prius ponamus, quam animarum salutem, morum emendationem, Christi fidelium pacem et tranquillitatem ac denique, ut communem patrem decet, commune omnium bonum.

Cum autem non ignoremus Serenitatis tuae mentem pro sua probitate ac virtute cum mente hac nostra maxime convenire, te quoque, una cum caeteris Christianorum Regibus vere catholicis, salutandum nostris literis hortandumque in Domino censuimus, ut primum omnibus precibus Deum Optimum Maximum rogare velis, ut ea, quae diximus, non minus quam desideramus facere possimus; deinde, quod ad tuas partes attinebit, ita nobis in eo adiumento esse, ut pietas tua ac religio, perpetuumque in christianam Rem publicam studium, singularisque in Sanctam Ecclesiam Sedemque Apostolicam amor atque observantia nobis pollicentur. Quae sane omnia, iampridem, cum caeteris tuis meritis, nobis cognita, tanti apud nos sunt, ut in privatis tuis ac tuorum rebus, quae cum Dei ac Sanctae huius<sup>b)</sup> Sedis honore fieri a nobis poterunt, non minora officia a nostra erga te benevolentia expectare possis, quam nos a Serenitate tua in rebus publicis optamus speramusque, ut ex Nuncio nostro, quem ad te sumus propediem missuri, Serenitas tua pluribus cognitura est. Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVI Maii M.D.LV, pontificatus nostri anno primo.

a) *Suprascriptum alia manu pro expuncto:* Ferdinando

b) *In reg.: huic*

## A. 6.

**Card. Iacobus Puteo, regni Poloniae viceprotector  
Sigismundo Augusto regi**

Romae, 10 VII 1555.

*Novum nuntium (Lippomano) ei commendat et rogat, ut in debellandis haereticis et renovanda Ecclesia Polona eum adiuvet.*

**Cop.:** Warszawa, AGAD, Lib. Legat. 16 f. 149v-150r (ex originali).

<sup>32</sup> Paulus IV electus est 23 V 1555.

<sup>33</sup> Cfr. 1 Reg. 16, 17.

## Cardinalis Puteus

Post summas Apostolicae Sedis perturbationes, quas in duobus Maximorum Pontificum continuatis funeribus contingere necesse fuit, quum primum respirandi aliquod otium Paulo Quarto Pontifici oblatum est, statim de mittendo ad Maiestatem tuam Nuntio peramanter sapientissimeque cogitavit. Is igitur in Regnum istud amplissimum proficiscitur, cum summa doctrinae probitatisque laude clarus, tum iudicii consilioque facultate maxime praeditus. Qui primum Dei Optimi Maximi virtute et clementia, deinde Maiestatis tuae ope fretus, sperat se Iesu Christi, catholicae pietatis atque huius Sanctae Sedis Apostolicae causam ita esse acturum, ut maxima cum animarum istius Regni salute vanissimas corruptissimorum hominum, qui terrena tantum sapiunt<sup>34</sup>, opiniones insaniasque [150r] evertere facile possit. Quare Maiestatem tuam vehementer etiam atque etiam rogo atque obsecro, ut Nuntium ipsum Apostolicum ea fronte, iis verbis, ea denique animi sui significatione suscipiat atque complectatur, ut omnes plane intelligent Maiestati tuae nihil prius aut antiquius esse, quam ut ab ipso Christo atque ab Apostolis traditus nobis per manus sacrorum omnium ritus in Regno suo revocetur debitaque cum Sedis Apostolicae observantia restituatur. Ad eam rem ex sententia perficiendam omnem vim atque momentum in voluntate Maiestatis tuae positum esse plerique omnes sentiunt.

Itaque spero propediem fore, ut egregia Nuntii opera, cum summa Maiestatis tuae pietate auctoritateque coniuncta, adhibitis etiam tot Episcoporum Procerumque Catholicorum studiis, Regnum istud florentissimum suaque sponte ad religionem maxime propensum, damnatis praestigiis haereticorum atque erroribus, ad veram pietatem sacrorumque receptum ritum cupidissime redeat, modo Maiestati tuae id praecipuae curae esse intelligat, ut religionis perturbatores dignissimis poenis supplicisque affiantur. In manu igitur Maiestatis tuae positum est, quanto cum fructu Nuntius ex isto Regno ad nos sit reversurus. Valeat Maiestas tua faelicissime atque omnia me semper summo studio curaturum esse confidat, quae ad Regni istius comoda salutemque pertinere arbitrabor. Romae, sexto Idus Quintilis M.D.LV.

## A. 7.

**Stanislaus Hosius, episcopus Varmiensis  
Paulo IV, pontifici maximo**

Heilsbergae, 13 VII 1555.

*Dolet, quod propter mortem Iulii III et Marcelli II designatus ab illis nuntius (Lippomano) in Poloniam venire non potuerat; evectionem ad Petri sedem*

<sup>34</sup> Cfr. Phil. 3, 19.

*ei gratulatur et rogit, ut Ecclesiae Polonae magno in periculo versanti in auxilium veniat promissumque nuntium tandem illuc mittat.*

**Or.:** AV, A.A. I-XVIII, n. 6540 f. 199r-v (elegans). In f. 200v inscriptio, sigillum et alia manu summarium cum annotatione: "Fuit responsum".

- **Ed.:** Theiner VMPL II, p. 579-580 (erronee posito dato: "12 Julii").

- **Summarium:** Hipler-Zakrzewski HE II, p. 570-571.

Sanctissime ac Beatissime Pater et Domine, D.ne clementissime.

Post oscula pedum beatorum. Quis sit status rerum apud nos, non dubito quin ex aliis iam audiverit Sanctitas V.ra, sed uberius tamen et certius omnia cognoscet ex Nuntio, quem una cum provincia sua reliquis Episcopis Rev.mus D.nus Archiepiscopus isthuc mittit<sup>35</sup>. Causa religionis eo loci, proh dolor, deducta est, ut gravissimorum concursum periculorum non metuere non possimus. Ac aliqua tamen, antequam Regni Comitia fuissent habita<sup>36</sup>, spes affulserat rerum tranquillandarum, cum allatum esset, a Iulio Tertio, Pontifice Maximo, designatum fuisse Nuncium ad nos, Rev.mum D.num Aloisium Lipomanum, virum et doctrina et iudicio praestantem, cuius prudentia motus istos, quos cupidi rerum novandarum quidam excitarunt, in Synodo provinciali sedatos iri sperabamus et optabamus<sup>37</sup>. Ecce autem rumor de morte Pontificis allatus, consilia nostra perturbavit, spem debilitavit et quantum animorum his addidit, qui christianam religionem eversam cupiunt, tantum nobis, qui conatus illorum pro virili nostra refutare conamur, diminuit. Quid enim facerent membra capite destituta? Sed recreati fueramus non ita multo post, cum accepissemus in locum demortui Marcellum Secundum suffectum fuisse, de quo fuit admirabilis quaedam hominum expectatio, quod cum constans esset fama, sic in eo pietatem cum sana doctrina certare, neutra ut alteri cedere velle videretur, sibi tamen ipsi quam minimum tribuere, sed ex V.rae Sanctitatis consiliis pendere totus diceretur. Verum hoc quoque nostrum gaudium, eo citius omnium opinione ex hac vita sublato, minime diuturnum, sed magno fuit moerore commutatum.

Sed qui Pater est misericordiarum et Deus totius consolationis<sup>38</sup>, memor clementiae suaे, nostrarum autem offensionum immemor, quibus iram illius meruimus, respexit nos tandem oculis misericordiae suaе ac Sanctitatem V.ram elegit, cuius ministerio pridem optatam iam ab omnibus Ecclesiae suaе, tot iam et tantis tempestatibus et procellis iactatae atque agita-

<sup>35</sup> Franciscus Krasiński, vide supra, A. 4.

<sup>36</sup> Scilicet comitia Petricoviensia, cfr. A. 3.

<sup>37</sup> Vide supra, N. 1.

<sup>38</sup> Cfr. 2 Cor. 1, 3.

tae, tranquillitatem restitueret. Quantum putat fuisse gaudium nostrum Sanctitas V.ra? Quantam gratulationem omnium, cum tam laetae rei nuncius ad nos pervenisset? Magna fuit spes de Marcello, qui proxime antecessit, sed cum is in constituenda religione secundum Deum, non in alterius quam Sanctitatis V.rae consiliis fiduciam suam collocasse dicatur, quanto maiora sunt, quae ab eo expectamus, quem ut aetate, sic et authoritate et rerum usu et divinarum humanarumque scientia rerum et vitae sanctimonia caeteros longo post se intervallo relinquere, non obscura nec incerta fama cognovimus. Huc accedit, quod cuius nos Regis imperio paremus, ei Sanctitas V.ra arcta quadam propinquitate devincta est<sup>39</sup>, ut si cui alteri, nostrae praecipue genti, non aliud optandus fuerit Pontifex ad res religionis vehementer in hoc Regno nostro perturbatas quieti suae pristinae restituendas.

Quamobrem tenere me non potui, quin et gaudium ipse meum de hac provectione Sanctitatis V.rae literis meis explicarem et simul honorem hunc ad illam delatum esse non ipsi magis Sanctitati V.rae, quam Ecclesiae universae gratularer. Quid enim ad Sanctitatem V.ram ex eo praeter curas et sollicitudines, labores et molestias perventurum est? At nos interim tanto feliores, qui tam sollicito de salute nostra gubernatore, tamque moderandae navis et ventorum tempestatumque declinandarum perito, facilius nos ad optatum tranquillitatis portum perductos iri confidimus.

Quam ut nostram de se fiduciam confirmet Sanctitas V.ra, ego quoque, quamvis postremi inter vectores loci, sed studio tamen et observantia erga sumnum gubernatorem nemini secundus, supplex peto. Actum enim erit de nobis, nisi Dei primum, deinde Sanctitatis V.rae nobis praesidium affulserit repentinum; quanto fuerit cunctatum diutius, tanto cervicibus nostris maius discrimen impendet. Mittat itaque, quem missura est<sup>40</sup>, quavis cunctatione semota, ac ne quid maius detrimentum capiant Ecclesiae, quae sunt in ditinibus Ser.mi Regis mei, nec aliunde secundum Deum, quam a Sanctitate V.ra rebus suis afflictis auxilium expectant, tempori providere velit. Nullum [199v] Christo poterit praestare sacrificium gratius, quam si quem ille sanguine suo congregavit<sup>41</sup> Sanctitatique Vestrae commendavit gregem suum, eum ab immanibus feris dispergi lacerarique passa non fuerit<sup>42</sup>, sed in eo potius elaboraverit, ut quod infirmum est consolidari, quod aegrotum sanari, quod confractum est alligari, quod aberravit, in viam reduci possit<sup>43</sup>. Nos vero, quum his, per Dei gratiam, Sanctitatis V.rae ministerio, quae nobis impendent periculis, fuerimus liberati, et nos et nostra omnia Sanctitati V.rae

<sup>39</sup> Hosius pro certo habere videtur gentem Neapolitanam Carafarum cum familia Aragonensi, ex qua mater reginae Bonae, Isabella, originem duxit, consanguinitate iunctam fuisse. Eiusmodi tamen cognationis vincula, exceptis dignitatibus et officiis, quibus singuli Carafae in aula Isabellae fungebantur, in fontibus non confirmantur (cfr. Pociecha KB I, passim).

<sup>40</sup> Paraphrasis Exod. 4, 13. Verba haec in liturgia Adventus ad Christum relata sunt.

<sup>41</sup> Cfr. Ioan. 11,52.

<sup>42</sup> Paraphrasis plurium locorum, praesertim Act. 20, 29.

<sup>43</sup> Cfr. Ez. 34, 16.

debebimus, neque Deum precari supplices unquam intermittemus, ut Sanctitatem V.ram, pro Ecclesiae suae tranquillitate tuenda, quam longissimo tempore servet incolumem et felicem. Cuius gratiae, clementiae protectio-nique me, qua summa possum animi mei submissione, diligenter commendabo. Datum Heilsberg in Prussia, XIII Iulii, Anno D.ni M.D.LV<sup>o</sup>.

<sup>(a)</sup>Eiusdem Sanctitatis V.rae

servus humillimus et addictissimus  
Stanislaus Episcopus Varmiensis<sup>a)</sup>

<sup>a-a)</sup>Autographum.

### A. 8.

**Card. Alexander Farnese, protector Regni Poloniae  
Sigismundo Augusto, regi Poloniae**

Romae, 29 VII 1555.

*Certiorem eum reddit Aloisium Lippomano nuntium in Polonia nominatum esse et petit, ut in debellandis Ecclesiae Catholicae adversariis eum adiuvet.*

**Reg.:** Warszawa, AGAD, Lib.Legat. 16 f. 150r-151r (ex originali regi ab ipso Lip-pomano tradito, cfr. N. 51).

**Cop. coæva:** Kraków, BJ, ms. 175 I, p. 161-162.

**Cop. XVI saec.:** BV, Chigi, L.III.58 f. 130r-v.

**Cop. XVII saec.:** Torino, AS, Racc. Mongardino, ms. 126 bis, s.f.

**Ed.:** Caro V, p. 314-316.

Ser.me Rex<sup>a)</sup>

Ex eo tempore, quo factus sum certior falsas de religione opiniones, quae finitimam isti Regno Germaniam contaminarunt, in Regnum quoque ipsum et Maiestatis V.rae regiones invadere, non commisi, ut ullum meum, quod eam ad rem pertineret, offitium desideraretur. Quod si vacuam a Pontifice Ecclesiam non et saepius et diutius, quam opus fuisset, habuissemus, multo iam ante factum esset, quod Maiestas V.ra prudentissime in medium afferebat atque etiam omni studio petebat<sup>44</sup>. Itaque cum primum Pontificem habuimus<sup>45</sup>, negotium confectum est. Is enim Rev.dum D.num Episcopum Vero-

<sup>44</sup> In mente habet litteras Sigismundi Augusti ad Iulum III, 12 II 1555 datas, vide supra A. 1.

<sup>45</sup> Scilicet Paulum IV.

nensem, cuius doctrinam ac pietatem, maximis in rebus perspectam ac cognitam, vehementer probat, amplissima potestate atque auctoritate ornatum, iussit ad Maiestatem V.ram proficisci et conventui, quem Sacerdotum ordines isto in Regno celebraturi sunt, praeesse, omnemque curam ac diligentiam adhibere, ut et manifesti nonnullorum errores extirpentur funditusque tollantur et pristinus ille ac concors de religione sensus statusque repetatur.

Quod spero, Deo adiuvante, ex voluntate successurum, nam cum Rev.dus D.nus Episcopus interioribus ipse sacrisque Litteris eruditissimus, homines etiam secum dicit sui simillimos, ad docendam veritatem aptissimos, tum vero non ignoro, quam plurimos istic esse iisdem ornamentiis praeditos, per quos nihil est, quod confici non possit. Non enim puto quenquam fore tam adversum a vero, tam iuditio devium, tam omnino rationis expertem, qui oblatu [151r] sibi lumine in viam redire nolit, cum praesertim eiusmodi causa sit, quae nullis calumniarum sordibus obsolescere, nullis verborum quasi tenebris offendi posse videatur, quaeque ita splendeat, ita luceat, ut eo clarius fulgeat ad oculos, quo studiosius cum altera causa contenditur. Quo cum accessura sit Maiestatis V.rae auctoritas, addo etiam, si quid hoc videtur interesse, imperium, magna me spes tenet fore, ut omnes, qui a certa sacrorum ac ceremoniarum ratione desciverunt, in eorum, qui eam constanter retinuerunt sententiam perducantur. Quod accidere non poterit, quin maximam ex ea re Maiestas V.ra gloriam consequatur. Cuius ego fructum animo iam ac mente praecipiens, sic laetor, ut non solum utilitatis ad christiani nominis Rempublicam perventurae, sed etiam veteris meae erga Maiestatem V.ram observantiae atque amoris rationem ducam, rogans eam atque obsecrans, ut mihi, summopere optanti, locum de se bene merendi saepissime praebeat. Quae valeat diuque faelix vivat. Romae, IIII Cal. Augusti M.D.LV.<sup>46</sup>

<sup>a)</sup> Suppletum ex copiis Vaticana et Taurinensi;  
reg. Varsaviense habet: Cardinalis Farnesius

## A. 9.

### "Avviso" ab Aloisio Lippomano card. Carolo Carafa transmissum

Cracoviae, 11 VIII 1555.

*Refert de rebus ad perfectionem, mense Ianuario proximo cogitatam, regiae Bonae in Italianam pertinentibus praeparandis: de pecunia et clenodiis filia-*

---

<sup>46</sup> Litteras similis tenoris, sub eodem dato, Farnese etiam ad reginam Bonam dedit (cop. BV, Chigi, ms. L III 58 f. 130v-131r et Torino, AS, Racc. Mongardino, ms. 126 bis, s.f.).

*bus relinquendis, de emendis equis, de itineris sociis epo Posnaniensi (Czarnkowski) et regni Poloniae cancellario (Ocieski) ei adiungendis eiusque oratoribus Venetias (Wapowski) et ad regem Romanorum (Pappacoda), ad litteras passus comparandas, mittendis.*

**Or.:** BV, Barb.Lat. 5805 f. 30r. In f. 30v informatio nuntians scriptum hoc a Lip-  
pomano per litteras 4 IX 1555 datas transmissum esse (cfr. N. 40).

- **Ed.:** Goetz, NBD I/17, p. 333-334.

Di Cracovia, li XI d'Agosto 1555

L'andata della Ser.ma Regina Bona in Italia è certa per circa a tutto gennaio prossimo, con buona licentia del Ser.mo Figlio et di tutto el consiglio, che per due [sic] anni stia a' bagni et al suo Stato e se ne ritorni in qua<sup>47</sup>. Così anchor lei ha promesso di seguire. Lascia le tre sue figliole<sup>48</sup> in Varsovia, dove anch'el Re si contenta stieno, et mette in thesoro per ciascuna 30 mila fiorini. Et tutte le sue entrate lassa [sic] per questo tempo al Re, et una parte alle figliole. Simile ha scompartito loro buona quantità di gioie. Né adesso studia in altro che in questa partita, proveggendosi da per tutto de migliori cavalli ci si trovino, sì da carro come da cavalcare, che vuole haver seco mille cavalli. Sarà accompagnata sino in Padoa dal Rev.mo di Posona et dal Magnifico Sig. Gran Cancelliere<sup>49</sup>, li quali haranno seco anche 400 cavalli, tutti bene in ordine de drappi e panni, che faranno bel veder. Ha di<sup>a)</sup> già espedito el servitore Wapostei Ambasciatore alla Signoria di Venetia<sup>50</sup>, el quale passò de qui quattro giorni sono, per ottenere salvo condotto del passo. Simile manderà in breve el Sig. Artuso Papacoda, fratello del Sig. Giovan Lorenzo, al Re de Romani per el medesimo effetto<sup>51</sup>.

a) *Corr. ex: dig*

<sup>47</sup> Prolixius de profectione reginae Bonae ad fontes Aponi (Abano) prope Patavium et deinde Barium scribit Lucas Górnicki (p. 88-101), de ipsa autem commemoratione Patavii Cini (op. cit.).

<sup>48</sup> Sophiam, Catharinam et Annam.

<sup>49</sup> Andreas Czarnkowski, epus Posnaniensis, et Ioannes Ocieski, magnus cancellarius, qui tamen postea reginam in Italiam comitati non sunt.

<sup>50</sup> Stanislaus Wapowski.

<sup>51</sup> Artusus Pappacoda, negotiorum reginae Bonae Venetiis procurator (cfr. Cini, p. 28), antea castellanus Bariensis, frater Ioannis Laurentii, qui maioribus reginae favoribus utebatur et qui interfector eius fuisse conicitur (cfr. Bogucka BS passim, Cynarski STB passim).

## A. 10.

**Ludovicus Monti**

**Zachariae Dolfin, nuntio apud regem Romanorum**

Veronae, 25 VIII 1555.

*Refert de controversia inter regem (Sigismundum Augustum) et nobiles in comitiis (Petricoviensibus) in negotio "exsecutionis legum" et religionis exorta. Certiorem eum facit de tribus milibus equitum ad bellum cum Moscovitis gerendum a Ioanne Tarnowski parandis; de regis commoratione Varsaviae, ubi omnia ad reginae Bonae in Italiam profectionem pertinentia statuta sunt, et unde ipse rebus, quarum gratia missus erat, infectis ad ducem (Herculem II d'Este) revertit. De desperato statu religionis in Polonia dolet et adducit casum rebaptizationis Stanislai Ostrorog et auxiliis a Iusto Ludovico (Decio) Lutheranis Cracoviensibus lati atque Italorum in aula regia commorantium se indigne gerentium.*

**Autogr.:** BV, Barb.Lat. 5714 f. 5r-6r. In f. 6v inscriptio, sigillum et annotatio: "1555. Di Verona, 25 d'Agosto. Lodovico Montio a Mons. Dolfino. Ricevuta con lettere dell'ultimo d'Agosto da Venetia", et subtus alia manu: "Avvisi delle cose di Polonia di Ludovico Montio" et item alia manu: "Pier".

Rev.mo Monsignore, Signor mio et Padrone clementissimo.

Per l'altre mie gli dissi quanto era occorso ne la nostra vana conventione et stimmai dirli il poco profitevole et lodevole recesso, per non dire escesso, che fu che i nuntii, sdegnati che la Maestà Sua non voleva hor mettere mano a la essecuzione, sì come loro instavano, ma volendola redurre a la futura dieta, acciò chi godeva beni per quale si voglia causa alienati, sì dal Re, sì dai passati Re, havesse tempo di portare i suoi privilegii nella conventione et mettere tempo di mezzo per non fare hor tanto rumore et sovrastare tanto senza frutto, istando egli la guerra del Moscovito, non ne volendo essi sentire cosa alcuna se non si eseguiva chi havesse di detti beni gli rendesse a la camera prima, o al meno si desse principio hor a essa essecuzione. La Maestà Sua non volendo in modo alcuno hor fare tanto strepito, per bene che ne gli venisse, loro, addimandata licentia, tutti a una se n'andaro[no]<sup>52</sup>. Ma prima che il Re gli licentiasse, a loro presenza revocò l'editto fatto sovra la religione

<sup>52</sup> Litterae Montii, descriptionem comitiorum Petricoviensium a. 1555 continentur, non reperiuntur.

che nel tempo d'uno anno<sup>a)</sup> gli daria il concilio nationale et hoc interim ogni huomo impune predicasse et vivesse come volevano. Et revocò ancor l'Ambasciatore eletto a Sua Beatitudine che andava per avisare Sua Beatitudine de le cose de la religione, domandandoli conseio et aiuto<sup>53</sup>. Il quale non di manco anderà, mandato da Sua Maestà per informatione, per aiuto et conseio [sic], se però l'andata del nuntio<sup>54</sup> non lo ritiene, che non credo. Così fu il recesso di quella vana dieta<sup>55</sup>.

Hor il Sig. Conte di Tarnow<sup>56</sup>, gloria et honore solo di quello Regno, veduta la bisogna di Sua Maestà et di Lituania per la guerra che, se Dio non provede, sarà col Moscovito, offerse a la Maestà Sua<sup>b)</sup> tre millia cavalli et la persona sua a cotesta guerra. Molti altri Signori, udita l'offerta del vechio valoroso, s'offersero ancor loro d'accompagnarlo in servitio di Sua Maestà. Così il venerando vechio uscirà in campagna a Pasqua di [5v] Ressureesso [sic] con gran numero di cavalli, perché egli si tira drieto la magiore parte del Regno, et come Capitano Generale commanderà. Et ha già rechiamato il figlio per menarlo seco et disciplinarlo ancor ne gli honorii del Regno, come se ingegnato apprenda le [sic] costume altrui ne i suoi primi anni<sup>57</sup>.

Il Re l'ottavo di di poi andò a Varsovia<sup>58</sup>, dove confermò in persona la venuta a Italia a la Ser.ma Madre, sì come per l'Ambascieria, di dieta mandatali, gli significò il Conseio essere contento<sup>59</sup>. Stabili il di a Febraro prossimo, con la compagna del Rev.mo di Posnania et del Gran Cancellere del Regno, con mille et cinque cento cavalli<sup>60</sup>. Questi verrano [sic] sin a Padua, se la Maestà Sua vorrà essere di ritorno, come io non credo, sovrastarano aspettandola, se non, se ne ritornerano. Di Varsovia, dove sovrastette due giorni intieri, havendo promesso a la Maestà Sua di venire accompagnarla sin fuori del Regno, se n'andò a Lituania per mettere a ordine le cose de la guerra, che già è all'ordine dugenti pezzi d'artiglierie con le sue monitioni. Et tutta via ne funde [?].

<sup>c-</sup>Di Varsovia m'ha espedito<sup>d)</sup> a Sua Eccellenza<sup>61</sup>, la quale s'ha, per mia rea stella, persa una ventura, che mai più gli venera in casa tale. Così me ne vado a lui il più mal[e] contento huomo del mondo, et no ho cagione che mi sono consumato per questa pratica, conduttola così bene. Et hor gli era menata a casa senza spesa così honorevolmente et tenuto il figlio et lei con tan-

<sup>53</sup> Oratorem tunc agebat Stanislaus Maciejowski, cfr. supra N. 22.

<sup>54</sup> Lippomano.

<sup>55</sup> Haec omnia accurate relata sunt in diariis comitiorum (cfr. annotationem 31).

<sup>56</sup> Ioannes Tarnowski.

<sup>57</sup> Ioannes Christophorus Tarnowski (1537-1567) iam tum erat secretarius regius (ab a. 1554); postea castellanus Wojnicensis (ab a. 1557).

<sup>58</sup> Comitia Petricoviensia 15 VI 1555 conclusa sunt (cfr. Konopczyński, p. 64), Sigismundus Augustus Petricovia discessit 21 aut 22 VI et 26 VI Varsaviam pervenit, unde 29 VI Vilnam se contulit (cfr. Ga-siorowski, p. 270).

<sup>59</sup> De pactionibus in hac re factis vide Górnicki DPK, p. 88-100, cfr. Bogucka BS, p. 245-248.

<sup>60</sup> Andreas Czarnkowski et Ioannes Ocieski, cfr. supra A. 9.

<sup>61</sup> Procul dubio Herculem II d'Este (1508-1559), ducem Ferrariae ab a. 1534, in mente habet.

ta speranza. O ceca gente, Dio gli lo perdoni. Dirò il tutto per altra di Modena, dove io sarò presto a servir V.ra Signoria Rev.ma<sup>62</sup>. La quale mi farà favore dirmi dove serà<sup>c)</sup>.

Le cose de la religione sono quasi desperate colà per la libertà loro, per non dire licentia. Uno Ostrarogo, ritornato di conventione [6r] si ribatteggiò, como mi dicono, la moglie, figliuoli, in compagnia di molti altri suoi vicini, con dire erano male battizati per mano di rei ministri<sup>63</sup>. Fan[n]o publicamente le ceremonie Zuingiane. Uno Giusto Ludovichi, richissimo ma ignobile<sup>64</sup>, in Cracovia, dove è peste grandissima, essendo vietato dal clero il predicare a certo Luterano, lo condusse sul cemiterio egli con archibugio et suoi servidori armati al simile, et ivi lo fecce [sic] a viva forza predicare quasi due hore. Chi di loro è Giudeo, chi non crede niente. La libertà loro è tale ch'io non so che provigione vi sia, se non il concilio. Pur lodo l'andata del nuntio per necessariissima. A cui ho scritto di qui in parte, come si deve governare et dettoli gli humoris d'alcuno de i primi<sup>65</sup>. So che se io fusse colà che gli faria relevato servitio, cosa che non gli farano alcuni de i nostri che sono apresso Sua Maestà, nemici a la Sede più del Zuinglio. Et gli ignoranti non s'avedeno che gettata a terra questa povera Sede, se ne va seco non solo la gloria de Iddio, ma ancor quello poco honore et nome che ci resta de Italia; ignorant et non nati d'Italiani, de i quali non si puole fidare in modo alcuno<sup>66</sup>.

Per fretta resto, baciando le mani a V.ra Rev.ma Signoria. A cui nostro Signore Dio conceda ciò che lei desia [sic], et la exaltatione et honore et gloria ch'io gli desio et prego. Di Verona, il dì XXVº Agosto nel [MD]LVº.

Di V.ra Signoria Rev.ma

<sup>62</sup> Iuxta Danutam Quirini Popławska a. 1555 exeunte Hercules II Montio commisit, ut de matrimonio filii sui, Caesaris, cum una ex sororibus Sigismundi Augusti ineundo pacisceretur (v. PSB XXI, p. 672). Ex hac praesenti epistula conici potius potest Montium ipsum huius causae initiatorem fuisse, impedimentum autem a duce Ferrariae ortum esse.

<sup>63</sup> Stanislaus Ostroróg (1519-1568), secretarius regius ab a. 1548, castellanus Międzyrzecensis ab a. 1552, fautor Lutheranismi ab a. 1553.

<sup>64</sup> Iustus Ludovicus Decius (ca 1520-1567), mercator Cracoviensis, ab a. 1552 religionis reformatae fautor, primae communitatis confessorum eiusdem religionis Cracoviae, una cum aliis, fundator.

<sup>65</sup> Litterae Lippomani ad nostros usque dies servatae non sunt.

<sup>66</sup> Harum litterarum argumentum fere totum (excepto loco de Ioanne Tarnowski) Montius repetivit in epistula ad quendam nobis ignotum scripta Mutinae 14 IX 1555. In "avviso" ex ea confecto etiam nova quaedam continentur: "che i Polacchi volevano far tra se una nuova Dieta per trattar delle cose del Regno, alla quale verisimilmente si troveria il Re. Onde vi potria chiamare il Nuntio di Nostro Signore et i Vescovi di quel Regno. Et quando tal Dieta non si facesse, bisogneria che il Nuntio di Sua Santità aspettasse fin'attanto che se ne facesse una generale" ("Avvisi delle cose di Polonia, estratti d'una lettera, scritta in Modena alli 14 di Settembre da un Ludovico Monte, Modenese, venuto pochi di erano da quella corte", BV, Barb.Lat. 8506 f. 11r-v).

Se mi fusse venuto fatto ritrovarla, gli haverei a bocca ditto cose che non fido a le lettere. Messer Michele in Vien[n]a mi desperò il poterla trovare in Augusta<sup>67</sup>.

obligato servidore  
Lodovico Montio<sup>68</sup>

a) *Adscriptum in margine.*  
b) *Sequitur expunctum: mille*

c-c) *Signatum linea verticali in margine sinistro.*  
d) *Sequitur verbum penitus expunctum.*

## A. 11.

**Paulus IV, pontifex maximus  
episcopis Poloniae**

Romae, 8 X 1555.

*Missum a se nuntium (Lippomano) in Poloniā iam pervenisse sperat. Auxilium in negotio religionis se eis esse laturum pollicetur, iuxta petitionem a Francisco Krasiński sibi porrectam, probatque ipsorum consilium, quo concilii nationalis convocationem arbitrio et assensui summi pontificis subiecerunt. Declarat concilium generale tantum, quod - reconciliato prius imperatore Carolo cum rege Gallorum Henrico - Tridenti continuare promittit, de negotiis huiusmodi decernere posse. Interea relationes ipsorum et nuntii de statu rerum in Polonia exspectat. Hortatureos, ut haereticos acriter reprimant.*

**Reg.:** AV, Arm. 44, ms. 4 f. 145v-146v.

**- Ed.:** Raynaldus XIV, p. 575-576; Theiner VMPL II, p. 583-584.

Ven.libus Fratribus Nicolao Archiepiscopo Gneznensi, Legato nato et  
Primati, aliisque Archiepiscopis, Episcopis et Praelatis Regni Poloniae

<sup>67</sup> Dolfin revera Augusta discessit 14 VIII 1555 (cfr. Goetz NBD I/17, p. 157.), ante finem Augusti Venetias pervenit, unde 31 VIII praesentes litteras Montii card. Carolo Carafa transmisit, "perché così advertito dal stato et conditione dele cose di Polonia, mi persuasi che Sua Beatitudine si potesse facilmente muovere a dare tal commissione al detto Monsignore [Lippomano]", BV, Barb.Lat. 5714 f. 9r (f. 10v: "ricevuta 5 di Settembre").

<sup>68</sup> Ludovicus Monti († 1570) Mutinensis, aulicus Sigismundi Augusti ab a. 1548, curator negotiorum eius in Italia, cfr. Wojtyska PP, p. 432-437.

## PAULUS PAPA IIII

Ven.les Fratres, salutem et apostolicam benedictionem. Istuc, ut putamus, iam pervenire potuerat Ven.lis Frater Aloisius, Epus Veronensis, noster et Sedis Apostolicae Nuntius a nobis missus, quod ita et Fraternitates V.ras desiderare et rem ipsam postulare cognoveramus, cum ad nos cum litteris et mandatis vestris venit dilectus filius Franciscus, Ecclesiae Casilien-sis [sic] Archidiaconus, qui diligenter admodum nobis exposuit, quantopere malum istic auctum sit et quanto in discrimine versetur vestrarum Ecclesia-rum salus<sup>69</sup>. Qua ex re quanto dolore et solitudine affecti simus, non facile dixerimus. Quod Fraternitates Vestrae tali Ecclesiarum tempore ad Sedem Apostolicam sibi configiendum putarunt, in ea re nos minime spem ipsarum fallemus, neque nostro officio deerimus, verum enitemur, ut ipsarum Eccle-siarum et nobilissimi Regni saluti omnibus, quae apta et opportuna visa fuerint et quae a nobis potuerint proficisci, remediis consulamus. Nam illud quidem, de quo actum fuerat, ut concilium vestrae nationis Episcoporum istic haberetur ad componendas de fide et religione controversias<sup>70</sup>, nullo modo a nobis probari potuisse. Itaque Fraternitates V.rae prudenter admodum et pro sua erga Sanctam hanc Sedem reverentia fecerunt, quae rem totam ad ipsam Sedem Apostolicam reiecerint. Neque enim in conciliis provinciae aut nationis alicuius [146r] de fidei religionisque catholicae dogmatibus discep-tari et statui quicquam, vel maiorum nostrorum instituta, vel iuris ratio et sacrorum canonum decreta patiuntur. De his enim rebus in oecumenicis ge-neralibusque conciliis agendum et decernendum est, ut quae ad omnes per-tinent, ab omnibus approbentur. Cum autem eiusmodi generale concilium in Urbe Tridentina haberi coeptum, bis iam propter obiecta impedimenta inter-missum fuerit<sup>71</sup>, nos, ut congregari id denuo ac perfici, Deo iuvante, possit, ut optamus, ad tollendas omnes eo remedio haereses et schismata, in eam cu-ram, quemadmodum necesse est, incumbemus, ut pacem inter char.mos in Christo filios nostros, Carolum Romanorum Imperatorem et Henricum Gal-lorum Regem, conciliemus<sup>72</sup>. Neque desperamus actioni huic nostrae divinam misericordiam optatum esse exitum concessuram et utrumque eorum Principum, non defatigatione solum et diuturnitate belli, sed sui etiam officii recordatione, et quietis ac salutis Regnorum suorum causa, nostris paternis consiliis esse obsecuturam. Interea vero expectabimus vestras et Nuntii nos-tri litteras, ex quibus quid actum<sup>a</sup> istic post ipsius adventum, quidque, re-bus inter illum et Fraternitates V.ras communicatis, constitutum fuerit, co-gnoscamus. Non dubitamus, quin illius virtus et prudentia magno vobis so-

<sup>69</sup> De missione Francisci Krasiński vide A. 4.

<sup>70</sup> Cfr. A. 1 et 3.

<sup>71</sup> Cfr. supra, N. 42.

<sup>72</sup> Cfr. ibidem.

latio et usui sit futura. Tunc autem nos quoque commodius statuere poterimus, quid a nobis agendum sit.

De quaestionibus autem a vobis exerceri coeptis adversus eos, qui ob crimen haeresis in iudicium sunt vocati<sup>73</sup>, hortamur Fraternitates V.ras, ut si illi errores suos agnoverint eosque abiuraverint, vos, christianae mansuetudinis et clementiae memores, illos absolvatis; pertinacibus vero et alias, qui integri sunt, corrumpere et a recta fide ac matris Ecclesiae obedientia abducere conantibus, acriter resistendum est. Hoc enim est tempus, quo gregis Dominici partes [146v] vobis commissae vestram pastoralem vigilantium et sollicitudinem maxime implorant, et quo vos illis defendendis et gratiam ab aeterno earum Pastore maximam initis, et vestrae ipsorum saluti simul consulitis. Quamobrem nolite ullius periculi metu ab earum defensione et officio vestro deterrei, spem habentes in Eo, qui Ecclesiam suam nunquam deserit, eamque non levioribus quam hoc tempore tempestatibus alias agitatam concussamque servavit. Qui vobis, officio vestro acriter seduloque fungentibus aderit, ne plus luporum saevitia ad ovium suarum perniciem, quam pastorum charitatem ad earum salutem valere patietur; pro labore autem brevi, aeterna vobis praemia retribuet. A nobis vero omnia auxilia expectate, quaecumque ad sublevandos labores carissimorum fratrum nostrorum, pro Dei honore et animarum salute laborantium, Deo ipso adiuvante, conferre poterimus. Datum Romae apud Sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die VIII Octobris M.D.LV, pontificatus nostri anno primo.

a) In ms.: auctum

## A. 12.

**Stanislaus Dąbrowski, cancellarius Gnesnensis  
Stanislao Hosio, epo Varmiensi**

Chruślini, 14 X 1555.

*Refert de congressu suo et colloquio cum nuntio, Aloisio Lippomano, Varsaviae habito: nuntiat eum noluisse cum archiepiscopo (Dzierzgowski) et caeteris episcopis congregari, priusquam regem Vilnae conveniret. Qualitates nuntii et comitum eius breviter describit.*

**Autogr.:** Olsztyn, ADWO, ms. D 11 f. 65r-v. In f. 65av litterarum inscriptio et vestigium sigilli.

- **Ed.:** Hippler-Zakrzewski HE II, p. 606.

---

<sup>73</sup> Vide A. 3.

Rev.me Domine, D.ne et Patrone colendissime.

Venit iam in Poloniā Rev.mus D.nus Aloisius Polidami [!], Epus Vero-nensis, Sedis Apostolicae Nuntius, qui ibat per Bohemiam, et primo Augu-stam, deinde Viennam, Bohemiam, Wratislaviam, postremo recta profectus Warschoviam. Apud quem ego fui Warschoviae, nomine Rev.mi Domini mei<sup>74</sup> eum salutando et invitando, quo diverti non gravaretur in domum Rev.mi Do-mini mei ad Sqwyrniowycze<sup>75</sup>, ut illic repausaret ac molestiam tam longi et molestissimi itineris quiete deponeret etc. Verum ad hoc induci nequaquam potuit dicens, quod: id habeo mandati Ss.mi Domini Nostri, ut cum nemine quicquam tractem prius quam Ser.mum D.num Regem Poloniae convenirem; ad quem etiam Nuntii Caesareae Maiestatis et Regis Romanorum<sup>76</sup> iam, in-quit, me praeierunt, quos oportet me sequi, omnes enim unam fere et ean-dem legationem sustinemus. Praeterea nolo, inquit, nostris conventiculis vel congressibus episcopalibus parere odium, suspicionem<sup>a)</sup> Dominis Episcopis apud Regem, ne opinaretur eorum inductione tot legatos venisse in negotio religionis, sed ut intelligat Rex quam male audiat eius haec conniventia in Novatores per universum orbem. Et habet secum impressa ea omnia, quae acta sunt in conventione generali Piethrkoviensi praeterita<sup>77</sup>.

Volebat Rev.mus Dominus meus, ut antequam Regem adiret prius consilia cum sua Rev.ma Paternitate et V.ra Dominatione Rev.ma communicaret essetque bene instructus de omnibus, quae eum scire oporteret. Sed ego vi-deo, quod omnia bene scit, et fortasse melius quam nos. Si quidem ex occa-sione, non data opera, potuisset videre Rev.mum Dominum meum, libenter hoc vidisset. Postea Rev.mus Dominus meus voluit venire Warschoviam, si tantum per triduum suam Rev.mam Dominationem expectavisset. Verum et id facere noluit, sed die Lunae praeteritae<sup>78</sup> est profectus Vilnam versus per bona et praedia Reginalis Maiestatis<sup>79</sup>. Cui ubique subministrabitur com-meatus. Idem fecit et nuntii Caesareae Maiestatis et Regis Romanorum. Mitto V.rae Dominationi Rev.mae descripta hic in cedula loca, quibus profi-ciscitur<sup>80</sup>. Habet secum aliquot eruditos viros: Alphonsum Hispanum<sup>81</sup>, Iosephum Cremonensem theologos, et Ludovicum etiam theologiae professorem et iuris utriusque<sup>82</sup>, quendam doctorem Iacobum Venetum<sup>83</sup> etc. Non habet

<sup>74</sup> Nicolai Dzierzgowski, aepi Gnesnensis.

<sup>75</sup> Skieriewice, altera - post Lovicium - sedes aeporum Gnesnensium in Masovia, 70 km versus meridionem et occidentem a Varsavia distans.

<sup>76</sup> Ioannes de Ayala, orator imperatoris Caroli V, et Erasmus Haidenreich, orator Ferdinandi, regis Romanorum (cfr. N. 33-34).

<sup>77</sup> Probabiliter agitur hic de confessione fidei in comitiis Petricoviensibus a 1555 recepta, cfr. A. 2.

<sup>78</sup> 14 X, id est eodem die, quo praesentes litterae datae sunt. Die Lunae praecedenti, 7 X, Lippo-manus nondum Varsaviae aderat (cfr. N. 42).

<sup>79</sup> Scilicet reginae Bonae, cfr. N. 48.

<sup>80</sup> Schedula haec ad dies nostros non est servata.

<sup>81</sup> Salmerón.

<sup>82</sup> Videtur agi hic de nepote nuntii Ludovico (Alvise) Lippomano, cfr. N. 95.

magnum comitatum. [65v] Ultra eos doctores et eorum servitores, sex aut octo suos familiares. Est vir doctus, eloquens et prudens. Cuperet tamen per litteras sibi a Rev.mis Dominis Episcopis huius Regni eorum consilia describi<sup>b)</sup> et se praemoneri de omnibus, quae illum scire oportere putarent. Multa mecum contulit per duas aut tres horas, semel et iterum. Non possum plura scribere, ex itinere enim scribo. Eadem hora, qua redii Lovicium, cogor sequi Gneznam Rev.mum Dominum meum. Commendo me et servitia mea Rev.-mae Dominationi V.rae. Quae diu ac feliciter valeat. Obiter<sup>c)</sup> ex Chrosijna<sup>84</sup>, 14 Octobris 1555.

Eiusdem Dominationis V.rae servitor

Stanislaus Dambrowski

<sup>a)</sup> *Adscriptum in margine.*

<sup>b)</sup> *In ms.: descripti*

<sup>c)</sup> *Adscriptum supra.*

### A. 13.

[Ioannes Skrzetuszewski, canonicus Posnaniensis  
Stanislao Hosio, epo Varmiensi]

Posnaniae, 15 XI 1555.

*Significat de "Picardis" (Fratribus Bohemis) in terra Posnaniensi numero crescentibus et de eorum synodo in Koźminek celebrata, cui etiam Lutherani interfuerunt. Rogat, ut de nuntio sibi scribat, de quo omnes non nisi bene ibi loquuntur.*

**Cop. coaeva** (ex cancellaria Lippomani): BV, Barb.Lat. 6507 f. 18r. In f. 18v alia manu: "1555. Pier". Hoc exemplar a Lippomno Romam missum erat una cum litteris suis 15 I 1556 datis (v. N. 68).

- **Ed.:** Wierzbowski U, II, p. 47-48.

---

<sup>83</sup> Procul dubio Iacobus Livrieri, qui erat auditor nuntii.

<sup>84</sup> Chruślin, 15 km a Lovicio Lanciciam versus distans, vel Chruściń, 15 km ad meridionem a Koło - utrumque in itinere, quod Lovicio Gnesnam dicit.

Capitulum e litteris nobilissimi viri<sup>85</sup>,  
scriptis <sup>(a-</sup>ex Posnania<sup>-a)</sup> ad Priorem Vilnensem Ordinis S. Dominici de  
observantia<sup>86</sup>, <sup>(a-</sup>die XV Novembris<sup>-a)</sup>

[...] Caeterum, quod V.rae Dominationi hinc esset scribendum? Noverit hactenus hic novi nihil ortum esse, quam quod Picardi more suo crescent numero et prosperantur et sacra pergunt, ut ante, nemine prohibente. Concionantur Posnaniae duo, unus Bohemice, alter Germanice. Baptisant, exigunt iuramenta, circumeunt familias et domos nobilium. Aestate praeterita habuerunt conventiculum in Cosminek, in quo erant Picardi et Lutherani concionatores et nobiles quidam magni nominis ex terra Cracoviensi, Maiore Polonia, Mazovia, Cuiavia, qui post longas altercationes in hoc convenerunt, ut omnia sacra et ritus fiant iuxta morem Picardorum<sup>87</sup>.

Auditur etiam legatus Papae venisse ad Regiam Maiestatem, ad hoc destinatus, ut hoc in Regno immoretur et restauret quod collapsum est. De cuius eruditione hic multa homines efferunt, et dicunt virum doctum. Det Dominus Deus, ut ita sit et ut hic aliquem profectum faciat in fide Christiana, ut haec scismata inter nos tandem sopiantur, ut idem omnes saperemus, et non sint inter nos scismata. V.ra Dominatio, ut intelligo, hunc episcopum bene novit, qui missus est in Legatione. Quid de ipso nobis sperandum sit, mihi exarare dignetur. Me V.rae Dominationi commendatum facio. [...].

<sup>a-a)</sup> *Adscriptum manu ipsius Lippomani.*

#### A. 14.

**Card. Iacobus Puteo**  
**Nicolao Dzierzgowski, aepo Gnesnensi**

Romae, 13 I 1556.

*Ad litteras eius 27 XII acceptas respondens, promittit se operam daturum,  
ut summus pontifex nuntium suum (Lippomanum) tamdiu non revocet, donec*

<sup>85</sup> Qui omni dubio procul fuit Ioannes Skrzetuszewski († 1566), canonicus Posnaniensis ab a. 1530. Quod clare demonstrare videtur orationis genus, in litteris eius ad Hosium scriptis usurpatum, necnon argumentum litterarum ad ipsum 13 II 1555 datarum, cfr. Hipler-Zakrzewski HE II, p. 508.

<sup>86</sup> Insignis titulus et mentio in litteris facta de cognitione Lippomani, tum tardissima (15 I 1555) huius excerpti Romam missio, demonstrare videntur sub nomine prioris monasterii Dominicanorum Vilnensium ipsum Hosium latitare, qui cum scriptum hoc, fortassis in persona, Varsaviae nuntio porrigeret, rogabat, ne nomen suum pateficeret.

<sup>87</sup> Congressus Lutheranorum et Fratrum Bohemorum sub patrocinio Iacobi Ostrorógi in Koźminek in Polonia Maiore diebus 24 VIII - 2 IX 1555 celebrabatur. Cui inter alios interfuerunt Ioannes Krotoski, castellanus Inovladislaviensis, et Ioannes Tomicki, castellanus Rogosnensis, cfr. Sipayło I, p. 18-45.

*condicio religionis catholicae in Polonia ab haereticis et novatoribus tuta ac secura sit.*

Cop. XVII saec.: Kórnik, BPAN, ms. 245 f. 86r-v.

Card. Puteus Nicolao Aepo Gneznensi

Rev.me Domine. Ad sextum Calendas Ianuarii<sup>88</sup> literas tuas accepi, ex quibus te bene valere, quod primum cupiebam, cognovi, deinde, quod plurimi facio, sperare te apostolici nuntii diligentia atque opera, si modo ille in hoc regno integrum annum maneat, magnum adiumentum labenti nutantique Catholicae fidei atque religioni allatum iri<sup>89</sup>. Huius tuae spei fundamentum cum in ipsius nuntii doctrina, probitate et prudentia situm esse facile intellico, tum vero etiam in tua ipsius erga religionem egregia pietate et studio, adjunctis quoque tui ordinis optimorum virorum viribus, quorum conspiratione ad perficiendam hanc rem maxime opus esse semper iudicavi.

Quare dabitur a me sedulo opera, ut summus pontifex nuntium ex ista provincia intra annum minime revocet, atque etiam, si fieri poterit, ut istic apud vos eum tam diu esse sinat, donec quae ad instaurandam confirmandamque Catholicam religionem pertinent eas radices egerint, quae nulla haereticorum novatorumque fraude convelli aut aliqua ex parte moveri possint. In hac re velim tibi persuadeas me maxime vigilaturum, cum ipsius Christi, [86v] de qua imprimis agitur, tum etiam amplissimi istius regni salutis desiderio adductum. Tu vero, ut coepisti, fortiter causam Christi defende et nuntii conatus omnes summo studio acrique contentione cura atque tuere. Vale. Romae, Idibus Ianuarii anno 1556.

### A. 15.

#### "Promemoria" cancellariae regiae super lite cum Coloniensibus

[Varsaviae, ante 25 I 1556].

*Refert de colloquiis a vicecancellario (Przerembski) cum nuntio (Lippomano) habitis de Ioanne Wysocki et aliis abbatibus (Cisterciensium) in Polonia ratione iuris collationis in Curiam Romanam citatis. Quod cum legibus regni*

<sup>88</sup> Id est 27 XII 1555.

<sup>89</sup> Litterae archiepiscopi ad dies nostros non sunt servatae.

*vehementer pugnare asserit et rogat, ut nuntius eiusmodi citationem repudian-dam curet.*

**Or.: BV, Barb.Lat. 5715 f. 20r (annexum ad litteras Lippomani ad Carolum Ca-rafa de 25 I 1556, cfr. N. 73).**

Rev.dus d.nus Regni procancellarius egit cum Legato Sanctissimi  
in negocio Abbatum Regni Poloniae quorundam<sup>90</sup>.

Abbas Landensis Ioannes Wissoczki, Regius Secretarius, Abbasque alter Wągrowiczensis<sup>91</sup> et item alii Regni Abbates trahuntur ad Curiam Romanam per Colonienses Agrippinos, qui Abbatiarum istarum collationem suam esse ad seque pertinere asserunt contra leges, constitutiones atque immunitates huius Regni, quorum tanta habetur in hoc Regno ratio, ut si maxime vel ipsa Maiestas Regia velit contra eas aliquid statuere, in hocque sive Coloniensibus, sive alteri cuiquam, vel ipsi Sanctissimo gratificari id tamen, ut esset ratum, ipsa per se efficere aegre<sup>a)</sup> posset. Nam si quid etiam Colonienses contra Regni leges impetrassent, id certe nullum robur, nullam authoritatem in Regno obtinebit.

Quare petantur literae a Rev.do d.no Legato, quibus intercedat agatque apud Sanctissimum, ut ea in causa silentium Coloniensibus contra Abbates Regni imponeretur, eorumque lites, quibus Abbates Regni fatigare non intermittunt, posthabeantur atque extinguantur autoritate Sedis Apostolicae, cuius quoque interesse videtur, ne negotia eiusmodi cognoscantur, quae exequutioni demandatura [sic] non essent<sup>92</sup>.

<sup>a)</sup> *Suprascriptum pro expuncto:* vix

---

<sup>90</sup> De his colloquiis vicecancellarii Przerembski cum Lippomano vide N. 73.

<sup>91</sup> Andreas Dzierżanowski († 1583), monachus Cisterciensis de Clara Tumba, a. 1553 a Sigismundo I nominatus primus abbas Polonus in abbatia Wagrowicensi, quae - similiter ac abbatia Landensis - privilegio fundationis Coloniensi praedita erat (cfr. Jozafat Ostrowski, PSB, VI, p. 155).

<sup>92</sup> Huic documento adjuncta est scheda eadem manu confecta (*ibidem*, f. 19r), Lippomano fortassis destinata: "Quid petendum sit de Aceto Scyllitico. Primo, quomodo illud conficiat et ex quibus? Quibus temporibus utatur: an hieme solum, an aestate etiam? Qua hora diei assumat? Post assumptionem dormiatne an vigilet, an ambulet an sedeat? Quam assumat quantitatem unica quaque sorbitione, et an continuis diebus, an vero interpollatis assumat? An ieunus, an non? Quos effectus in se operari experientia senserit? Ad quid maxime valeat? A quibus cavendum sit, cum assumitur?".

## A. 16.

**Stanislaus Hosius, epus Varmiensis  
Martino Cromero, secretario regio**

Heilsbergae, 21 II 1556.

*Certiorem eum reddit de suo Varsaviae cum nuntio (Lippomano) congressu et de non conclusis utriusque colloquiis cum archiepiscopo (Dziergowski) Lovicci habitis. Tradit rumores de bellicis summi pontificis intentionibus. Primas chartas Dialogi de comunione sub utraque etc. sibi remitti petit, cum eum nuntio legendum porrigere cupiat.*

Autogr.: Olsztyn, ADWO, ms. D 19, n. 112. In dorso inscriptio et vestigium sigilli.  
- Ed.: Hippler-Zakrzewski HE II, p. 666-667.

S[alutem]. Cupis fortasse certior fieri, quem fructum excursionis huius meae tulerim. Ego vero non credo te cupidorem esse cognoscendi, quam me tibi scribendi. Scis, quoad Rex ibi fuit, non fuisse mihi locum in diversorio<sup>93</sup>, quattuor dies me Poltovii<sup>94</sup> commoratum esse. Veni die Lunae post discessum regium<sup>95</sup>, simul ut illuxit, Varssaviam. Nec Episcoporum, nec Praelatorum quenquam reperi. Solus ibi relictus erat Nuntius Apostolicus. Quem eodem die conveni, priusquam cibum sumerem. Poteram postridie, aut saltem perendie discedere facturusque mihi potestatem Nuntius videbatur, sed parum decorum iudicavi solum illum relinquere, desertum ab omnibus. Simul de eadem fidelia duos dealbare parietes cogitabam: ut et Bonam Reginam paulum deducerem<sup>96</sup> et Nuntium solum ne desererem. Ducentae marcae mihi tanti non fuerunt, ut officium humanitatemque requiri potius in me, quam ad reliquum sumptum has quoque accedere maluerim.

Venit postea puer ab Archiepiscopo, Lovicium deducturus Nuntium. Is nullas mihi litteras reddidit, sed cupere dixit herum suum, ut cum Nuntio venirem. Quod cum illi narrassem, gratissimo animo accepit, quod se non habere nisi sex comites sive famulos. Nam et nepotes suos et reliquam familiam, una cum equis, mulis et lectica, Bona Regina ab eo acceperat. Comitus sum eum Lovicium usque. Progressus est illi obviam ipse Archiepiscopus. Altero die nihil actum est. Perendie adivi ad Archiepiscopum. Esse mihi dixi deliberatum cras discedere, quare ut Nuntium conveniremus rogavi. Ad quem cum adivissemus, cum viderem aliis de rebus verba fieri, tandem orsus

<sup>93</sup> De difficultatibus in deversoriis Hosio Varsaviae reperiendis vide N. 72.

<sup>94</sup> Pultovia (Pultusk), sedes episcoporum Plocensis ad Narew fluvium, 50 km ad septemtrionem a Varsavia distans.

<sup>95</sup> Sigismundus Augustus 25 I 1556 Varsavia discessit (Gaśiorowski, p. 270). Dies lunae post illum diem proximus erat 27 I.

<sup>96</sup> De discessu regiae Bonae vide N. 40, 42, 68, 78.

ipse sum: Ita iubente Nuntio venisse me Varssaviam, deinde, ut Archiepiscopi postulationi sufficerem, venisse me Lovicium; cupere me scire, quae sit causa vocationis meae; libenter me pro virili mea facturum imperata. Respondit prior Archiepiscopus, egitque mihi gratias quod venissem, ac si deinceps etiam vocaturus esset me, ne venire gravarer iterum postulavit. Quod me facturum recepi. Orsus erat loqui Nuntius quoque, sed statim acciti sumus ad prandium. Et haec fuit, nec ulla alia postea nostra consultatio. Itaque, ut Lovicium venirem nulla fuit alia causa, quam ut vocatus postea redirem. Quid vis? Frigus ingens. Hunc excursionis meae fructum tuli, quod nunquam de rebus nostris magis desperavi. [*Desribitur miserrima religionis catholicae in Polonia condicio et fructuosa Friderici Staphyli opera in Silesia impensa*].

Caeterum de Pontifice pessimi rumores: ex Theatino factum esse militem, nec alia re magis quam aenearum machinarum sonitu delectari, ita ut delirare videatur<sup>97</sup>. Quae res parum nobis consolationis adfert. De Turcis plena terroribus omnia<sup>98</sup>.

Dialogum remitte mihi primo quoque tempore. Iam est quidem absolutus, neque tamen vidit eum Nuntius, quod cum deessent primae tres chartae, quas Custos Ecclesiae nostraræ mihi non reddiderat<sup>99</sup>, imperfectum opus ostendere ill nolebam<sup>100</sup>. [*Aliqua de Hosii "Confessione catholicae fidei", quam aepus Dziergowski typis mandare intendit*]. Bene vale. Ex Castro nostro Helszpergk, X Calendas Martii 1556.

Tuus frater  
Stanislaus episcopus  
Varmiensis subscrispsit

## A. 17.

### **Gregorius Wagner, praedicator Gedanensis: Propositio reformationis cultus Gedani**

[Gedani, initio Martii 1556].

*Temporarias mutationes, usque ad proximam synodus nationalem duratas, in liturgia missae, sacramentorum et sacramentalium Gedani introdu-*

<sup>97</sup> Ita designat Paulum IV, ordinis Theatinorum olim una cum aliis fundatorem, nunc bellum cum Hispanis parantem, cfr. N.

<sup>98</sup> Agitur potius de Tartaris, vide N. 84.

<sup>99</sup> Eustachius a Knobelsdorf († 1571), custos Varmiensis ab a. 1553, qui initio mensis Ianuarii 1556 in Silesiam profectus est (vide Hippler-Zakrzewski HE II, p. 654).

<sup>100</sup> Agitur de *Dialogo de eo, num calicem laicis et uxores sacerdotibus permitti ac divina officia vulgaris lingua peragi fas sit*, edito postea Dilingae a. 1558.

*cendas proponit. Eiusmodi mutationes imprimis consistere debent in minuendo cultu sanctorum et augendo numero contionum, quae lingua Germanica habentur et "puro Dei verbo" innitantur.*

**Cop.:** AV, A.A. I-XVIII, ms. 6544 f. 62r-67r (in cancellaria Lippomani confecta, litteris nuntii ad regem, 3 IV 1556 datis, adiuncta ac deinde etiam Romam missa, cfr. N.86).

Nobili ac spectabili viro D.no Constantino Ferbero,  
Proconsuli in inclyta Urbe Dantiscana<sup>101</sup>, domino suo plurimum colendo.

Nobilis atque spectabilis Domine Proconsul. Facile apud nos fieri potest, ut novissimi sint primi. Longum quidem tempus purum Dei Evangelium hic depraedatum est, sed substantialia ad illud pertinentia semper denegata sunt. Itaque ea de causa factum crediderim, quod variarum opinionum de Christi Evangelio orta sit controversia, et quod neutra pars alteri etiam bene sentienti credere voluerit. Accessit et bonorum Ecclesiasticorum apud exteras nationes in usum profanum direptio, quam multi C[ives], et non immerito, absterri, nostram doctrinam fugierunt, Evangelii professio clericis suos proventus non imminuit, imo promovet. Sed illorum quoque est, ut de suo iure et humanis traditionibus nonnihil concedant, quo tandem concordi consensu aliquando Sacrae Scripturae coniungerentur. Observavi id commode posse fieri, si saltem Canon, qui Dominicæ voluntati prorsus repugnat, de medio tolleretur. Evidem nihil aliud cupio et opto, quam ut sana doctrina promoveatur. Sic Augustinus Libro III de Trinitate in Prooemio refert, cuius haec sunt verba: *Noli, inquit, meis literis quasi canonicae Scripturae inservire, sed in illis, et quod non credebas, cum non inveneris, incuctanter crede.* In illis autem, quod non certum habebas, nisi certum intellexeris, noli firme retinere<sup>102</sup>. Idem De peccato, lib. 15, 2.2: *Cedamus igitur et consentiamus autoritati Scripturae sanctae, quae nescit [62v] falli nec fallere*<sup>103</sup>. Recte quidem sentit Origenes, ubi in Ezechielem homilia VII sic scribit: *Nullum imitemur, et si volumus imitari quempiam, propositus est nobis ad imitandum Christus Iesus*<sup>104</sup>. Status huius nostrae Religionis fere collapsus me commovit, ut pro initio futurae reformationis rudem quandam et brevem formam ostenderem, qua adversae parti et nobis satisficeret, donec synodus futura certum aliquid statuerit. Facile admitto iudicium piorum virorum, qui aedificare, et

<sup>101</sup> Constantinus Ferber († 1588), ab a. 1549 consul et ab a. 1555 usque ad mortem burggravius Gedenensis.

<sup>102</sup> Vide Migne PL XLII, col. 869.

<sup>103</sup> Potius *Contra Faustum*, Lib. XI, cap. 6 (Migne PL 42, col. 249).

<sup>104</sup> Vide Migne PG XIII, col. 722.

non destruere nituntur. Iam satis superque destructum est: populus securus stertit, pietas ubique iacet. Qua de causa Sublimem Dominationem V.ram rogo oroque, ut pro sui ingenii sagacitate et officio magistratus, imo pro gloria Christi adiuvet, ut hic praescriptus ordo conservari possit. Non vivam, si non cum accessione pietatis et splendore nominis huius Regiae civitatis fieret. Valete in Christo.

V.rae Sublimae Dominationis deditissimus

Gregorius Wagnerus  
ad Sanctam Catherinam praedicator

**Agenda**  
**die solis et aliis festis, quae celebria augustaque habentur**  
**in aede Divae Mariae**

[Die Dominica et in festis. Mane]

Magna hominum frequentia in eodem templo matutino tempore ad conctionem vel tres horas continue<sup>a)</sup> conspicitur, quod ipsis summum taedium affert. Ideo ante matutinas preces, vel post, concio sit constituenda, qua Iesus Syrach Graecus Ecclesiasticus, qui oeconomiae Christianae institutionem [.....]<sup>b)</sup> continet<sup>105</sup>, vel Evangelium de tempore, vel aliud scriptum ex sacra Scriptura auditoribus utile tractaretur.

Post horam septimam fiat compulsus, qua poterit fieri solennitate. Circuitus lapsus est, responsoria autem retinentur. Minister, sacerdotali ornatus, ad altare se conferat, habitu decenti et oratione flexis genibus ad Deum praemissa.

**Missae Dominicae partes**, semoto canone, integrae permaneant. Quales sunt:

Exordium, quod vocatur Introitus, cum ex sacris Literis petitum sit, probatur; Kyrie eleison - Domine miserere, Christe eleison - Christe miserere; Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bona voluntas, et reliqua quae sequuntur. Est oratio huiusmodi Christiano dignissima, symboli formam habens.

Oratio, quae deinde nomine omnium Christianorum effunditur, si de tempore, ut vocant, palam pronuncietur, si de divis et aliquid de intercessione contineat, tractetur aliqua generalis. Extant elegantes precatio[n]es, singulorum Evangeliorum sum[63v]mam breviter complectentes, Germanice con-

---

<sup>105</sup> Agitur de auctore libri *Sapientiae Syrach*, alias *Ecclesiastici*, in linguam Graecam ab eius nepote translati.

scriptae, quae facile Latino sermone possint, si Germanica lingua abhorreat, quae tamen laicis esse gratior et devotior, autoritateque Apostoli Pauli melior.

Lectio non aliunde quam ex sacris Literis, sicut pleraeque omnes inde sunt transumptae, petatur.

Epistola de tempore canatur.

Tractus et graduale, si purum sit, servetur.

Alleluia, hoc est laudate Deum, nemo prudens reiiciet.

Prosa, vel ut vocant Sequentia, si Christum redoleat, recepta non immutetur.

Sequitur Evangelium de tempore.

Symbolum in Nicena Synodo conditum, quod nil aliud est quam fidei confessio, corde creditur ad iustitiam, ore fit confessio ad salutem. Rom. X<sup>106</sup>.

Hoc finito, praedicatio, seu explicatio Evangelii habeatur.

Post concionem sacerdos ante altare dicit: Dominus vobiscum.

Praefatio. Sanctus.

Hic, loco Canonis, verba Coenae Dominicæ in Germanica lingua canantur cum elevatione hostiae, etiam adiunctis cimbalis.

Pater noster.

Post haec fiat brevis admonitio et adhortatio ad communicantes, ut iuxta Paulum se ipsos probent<sup>107</sup>.

Tunc administretur Sacramentum, interim 'Iesus Christus nostra salus' decantetur, et aliae piae cantiones.

Post communicationem gratiarum actio. Agnus Dei. Ultimo benedictione concluditur.

[64r] Organi, cantus figurales et omnium instrumentorum musicorum splendores admittantur ordine pio et convenienti. Psal. 98: Psallite Domino in cythara et voce psalmi; in buccinis et voce tubae iubilate in conspectu Regis Domini.

Peracto prandio

Hora duodecima **Cathechismus** praedicetur, secunda compulsetur ad **Vespertinas preces et Praedicationem**, quae epistolam de tempore declarabit. Epistolae enim, ut plurimum novitatem vitae et bona opera urgent, sicut Evangelia fidem quae debet esse viva, ut bona arbor bonos perferat fructus<sup>108</sup>. Iustus et palma florebit. Psal. 92. Concione finita, subiungatur Te Deum laudamus, vel Magnificat, vel Nunc dimittis. Organista alternatim respondeat. Gaudeant musae sacrae vicissitudine, atque hoc pacto recte et vere fieret Sabbati et festorum sanctificatio.

<sup>106</sup> Cfr. Rom. 10, 10.

<sup>107</sup> Cfr. 1 Cor. 11, 28.

<sup>108</sup> Matth. 7, 17-18.

Diebus Lunae, Martis et Iovis.

Quinta vel sexta, ad placitum Dominorum meorum, Minister Ecclesiae Vetus Testamentum a principio in Germanica lingua, unum caput vel dimidium perlegat et summatim historiam in certas doctrinas, sicut textus requirit, et in locos breviter comprehendat. Vocabitur lectio matutina loco privatæ missæ, cui precatio addatur certa forma comprehensa. Eisdem diebus circiter quartam, post vespertinas preces, aliud Minister Novum Testamentum praelegat, capitulatim tractans. Simili precatione vel gratiarum actione concludatur.

[64v] Die Mercurii

Hora octava Cathechismus, aut Pauli Epistola aliqua depraedicatur. Eodem die et missa celebrari potest in tam populosa urbe.

Die Veneris

Fiat concio ex psalmis David, cantetur litania et Tenebrae factae sunt<sup>109</sup>. Potest etiam missa celebrari; communicantes vix abfuturi sunt.

Die Saturni

In Vespertinis precibus fiat confessio, et absolutio eorum, qui die Dominicæ Coenæ Dominicæ, iuxta institutionem Christi, volunt esse participes - et etiam mane in matutinis precibus.

Haec sunt pietatis vera exercitia, quae facient ad timorem Domini incutendum et precatiores ad Deum Optimum Maximum fundendas. Hae in privatis aedibus alias frigent vel prorsus negliguntur.

Psa[lmus] 61: Plantatio Domini ad glorificandum Deum.

[Isai. 55, 11]: Verbum meum quod egredietur de ore meo non revertetur ad me vacuum, sed faciet quaecunque volui.

2. Thes. 2: Orate fratres pro nobis, ut sermo Dei currat et glorificetur.

Ad Col. 3: Verbum Christi habitat in nobis abundanter, et in omni sapientia docete et commonet vosmet ipsos in psalmis, hymnis et canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Domino. Vult, ut doctrinam Christi, quae est in charitate et vera religione, nobis assiduo usu faciamus [65r] plane familiarem et domesticam. Dicit abundanter, ne tepide, aut frigide, aut inepte Verbum Dei tractemus. Subiicit: Cum omni sapientia, significans illud summa cum reverentia, religione et prudentia Christiana esse tractandum. Beatus praedicator, qui praecepsis delectatur, eadem meditatur et exercet semper.

---

<sup>109</sup> Ex liturgia Feriae Sextae in Passione et Morte Domini.

Luc. 10: Maria Magdalena assidens ad pedes Iesu praefertur Marthae solicitae sorori; dicitur meliorem partem delegisse, quae non auferetur ab ea. Haec est illa fruitas [sic] sanctissima, qua inserti sumus Christo propter synceram Verbi Dei susceptionem et voluntatis divinae impletionem.

Operae pretium esse arbitror, ut hoc ordine omnia pro emendatione sapientissimorum Dominorum meorum constituantur. Non dubito quin homines hac ratione ad maiorem pietatis fructum allicantur. In hac mortalium copia, auditores nunquam defuturi sunt, cogitabunt sibi iniunctum esse a Salvatore nostro, ut Regnum Dei et iustitiam eius ante omnia quaerant; reliqua adicientur eo facilius<sup>110</sup>. Sunt enim nonnulli pietati addicti ultro, utriusque Testamenti expositionem audient. Alii sunt ociosi, qui his quotidianis lectionibus a vitae turpitudine absterrebunt. Alii sunt afflicti et calamitosi, consolationem quotidianam habebunt. Alii pauperes et perpetuo se mace-rantes, hinc levamen victus et amictus sentient, quia non solo pane vivit ho-mo, sed omni verbo, quod egreditur per os Dei<sup>111</sup>. Juven[65v]tuti autem et reliquae plebi ad vitam magis piam calcar addetur. Breviter: Adversus omnes assultus diaboli frequens Scripturae meditatio valet, sicut computrescunt pisces sine aqua et moriuntur in siti, sic etiam expertes Verbi divini marces-cunt et contabescunt.

### De ceremoniis

Duplices sunt ceremoniae: aliae divinae, aliae humanae. Divinae sunt a Christo ordinatae, cuiusmodi habentur Sacra menta, ut Baptismus, Coena Domini et absolutio. In his quidem non est aliis finis et usus, quam Christi verba sonant. Humanae sunt, quarum aliquae tolerandae essent, si nihil pietati Christianae derogarent.

Veteribus erant quatuor capita, quorum primum est *εὐταξία*, quae in fe-riis potissimum attenditur, quibus est propter doctrinam et piam precatio-nem atque interpellationem certa ordinatio, ne quae temere et confuse non ordinetur. Alterium est *ἐνοχηκοσύνη*, quoties vir aperto capite et mulieres te-to, in templis orant; quoties viris docere publice permittitur, mulieribus non item. Tertium est *ὑπόμνησις*, cum pictae piarum historiarum imagines propter plebeiorum hominum unam aliquam institutionem tollerantur. Ultimum est *οἰκοσύνη*, quae ecclesiam aedificat, adornat et promovet, veluti cum ne-mo homo Dominicae mensae sit parteceps, [66r] nisi eius pietas et in doctri-na et vita diligenter explorata fuerit.

Item nemo Minister ecclesiae creetur, nisi tum dignus propter eruditio-nem, qua in docenda pietate potens sit et adversarios graviter convincat, tum propter honestatem vitae, et ut sit inculpabilis.

---

<sup>110</sup>Cfr. Matth. 6,33.

<sup>111</sup>Cfr. Matth. 4,4.

### De feriis

Summae feriae: Nativitatis Christi, Passionis, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes et Trinitatis, cum suis diebus, solennes celebrentur.

Cathalogus divisorum, quorum feriae illustres habeantur: Divi Andreeae Apostoli, Conceptionis Mariae Virginis, seu potius Iesu Christi, Thomae Apostoli, Matthiae Apostoli, Conversionis Pauli, Annunciationis Mariae, Purificationis Mariae, Dies rogationum, Vincula Petri, Philippi et Iacobi Apostolorum, Nativitatis Ioannis Baptistae, Decollationis Ioannis Baptistae, In passione Petri et Pauli, Nativitatis Mariae, Visitationis Mariae, Exaltationis S. Crucis, Mariae Magdalena, Matthaei Apostoli, Iacobi Apostoli, Michaelis Archangeli, Laurentii Martyris, Simonis et Iudei, Bartholomaei Apostoli, Omnia Sanctorum.

### De nuptiis

Certa constitutio et ordinatio nuptiarum, a prudentissimis et sapientissimis dominis publice nunc provulgata, summe [66v] probanda est; etiam in templo hic ritus non est illaudabilis, ut brevis concio de matrimonio et rebus spiritualibus susciperetur; ut ante summum Altare, audientibus et videntibus omnibus, copularetur sponsus et sponsa; ut post copulam benedictio tractaretur cum lectione: Beati, qui timent Dominum<sup>112</sup>.

### De puerperis

Introductio puerarum maneat propter petitiones et gratiarum actiones.

### De sepultura

Sepultura, quam maiores nostri summa pietate curarunt, commodius fieret mane octava hora<sup>a)</sup> et post prandium secunda. Et hic funebris concio ad praesentem populum haberetur. Sic praesentis demortui hominis spectaculo quilibet sua fragilis et vitreae vitae admoneretur, iuxta illud 2 Reg. 14: Omnes morimur et quasi aqua allabimur in terra. Et de futura resurrectione articulus confirmaretur faceretque ad leniendos dolores et cruciatus ex obitu boni amici conceptos. Et in his omnibus se Ecclesia Antistitum nostrorum, qui suo officio invigilabunt, ut<sup>c)</sup> oves in locum pascuae collocentur, et supra aquam refectionis deducuntur, Psal. 23. Nos vicissim erga ipsos ita ut decet subditos geremus, sicut habetur Ro[m]. 13: Omnis anima potestatibus super eminentibus subdita sit, non est enim potestas nisi a Deo. Neque volumus quicquam detra[67r]ctum vel honoribus vel dignitatibus vel proventibus isto-

---

<sup>112</sup> Ps. 127.

rum: suppliciter nos agnoscimus, illorum primatui addicto, etiam ad digitalem crepitum obedientes. Palam enim est ira Dei de coelo adversus omnem impietatem, qui veritatem Dei in iniustitia detinent. Psal. 40: Iustitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam et salutem tuam dixi. Item Iacob[i] 4: Scienti bonum et non facienti, peccatum est illi; 2 Pet[ri] 2: Satius enim fuisse illis non cognovisse viam iustitiae, quam ubi cognoverint converti ab ea; Hiero[nymus]: Scientes delinquunt, qui Dei veritate agnita iniuste agunt.

a) *Suprascriptum alia manu.*

b) *In ms. loco verbi linea ducta est.*

c) *In ms.: et*

## A. 18.

### **Processus**

**contra Ioannem Drohojowski, epum Vladislaviensem  
per Aloisium Lippomano confectus**

Lovitii et in aliis locis, 14 III - 15 V 1556.

*Acta notarialia, a Francisco Varugola conscripta, processus, quem Lippomanus contra Ioannem Drohojowski, epum Vladislaviensem, mandatu Pauli IV pontificis maximi, Lovicii, Unieioviae, Gnesnae et Vladislaviae diebus 14 III - 15 V 1556 peregerat, quae continent transumptum brevis pontificii 23 XII 1555 dati, interrogationes a nuntio propositas et responsa testium: canonici Gnesnensis Gabrielis de Lovicio OP, Matthiae Zybicensis de Volboria, decani capituli Vladislaviensis Iacobi Paczyński, archidiaconi Pomeraniae Andreae Duchnicki, canonici Vladislaviensis Stanislai Stempowski (2), praepositi Chodicensis Nicolai Sobieburski (2), archidiaconi Plocensis Pauli Głogowski, canonici Plocensis Martini Goślicki, magistri scholae cathedralis Vladislavensis Adalberti, canonici Vladislaviensis Petri Piątkowski, concionatoris in ecclesia cathedrali Vladislaviensi Felicis Ossowski, vicedecani Vladislaviensis Ioannis Orłow[ski], vicecustodis Vladislaviensis Floriani de Gniewkowo et canonici Vladislaviensis Matthiae Wargawski. Qui omnes plerumque confirmarunt obiectiones contra episcopum motas circa minus ordinatam ac dissolutam eius vitam, corruptelam, curae animarum in dioecesi neglegentiam, conniventiam ad haereses atque erga haereticos indulgentiam ac tolerationem eorum in civitate Gedanensi, inter proprios ipsius familiares et propinquos, praesertim fratribus sui germani Stanislai, paedagogi nepotum Stanislai de Volboria, cancellarii (Ioannis de Turobin) et aulae marescalci (Andreae Jaktorowski), Simonis (Żak) de Proszowice excommunicati et auctoris libri De Ecclesia, Andreae Fricii Modrze-*

wski, necnon circa oppressionem rusticorum in bonis episcopalibus ex parte crudelis arendatoris Andreeae Dąbrowski et non orthodoxam affirmationem episcopi de praesentia Christi in Eucharistia, quam coram discipulis scholae cathedralis Vladislaviensis praeterita Hebdomadae Sancate feria quinta durante communione fecit.

**Cop. coaeva:** Milano, BA, ms. D 175 inf., f. 109r-134v (non accessibilis).

- **Cop. XX saec. exeuntis:** Kraków. BPAN, ms. 8464 (Theca Romana 124), pars 1, ff. 31. In textu clare videri possunt correctiones manu Stanislai Zakrzewski et manu posteriore (Ioannis Rutkowskii?) factae. In fine (f. 31v) manu propria: "Skolacjonowałem 15 i 16 IX w Medjolanie. St[anisław] Zakrzewski".

Processus factus per Rev.dum D.num Aloysium Lipomanum,  
Epub Veronensem, Nuntium in Regno Poloniae,  
contra Ioannem<sup>a)</sup> Epub Vladislaviensem, suspectum de haeresi

Die XIII (mensis) Martii 1556, in Arce Lovitii, Ducatus Masoviae<sup>b)</sup>, in aedibus Rev.mi D.ni Archiepiscopi Gnesnensis, quo in loco de praesenti moratur Rev.dus in Christo Pater D.nus Aloysius Lipomanus, Epus Veronensis, in Regno Poloniae Nuntius apostolicus, allatae sunt eidem D.no Nuntio litterae in forma brevis a Ss.mo D.no Nostro, D.no Paulo Papa quarto, integrae, sanae, purae, non violatae, nec ab aliqua parte suspectae, sub sigillo anuli Piscatoris clausae, quas ei nomine Sanctitatis sua transmiserat Rev.mus Do.nus Iacobus Card. de Puteo<sup>113</sup>, huius tenoris: [Sequitur textus brevis, ut in N. 60]. Quibus litteris ea qua decet reverentia receptis, lectis et diligenter consideratis, volens praedictus Rev.dus D.nus Nuntius ad illarum exequitionem, ut tenebatur, [2r] procedere, cum nonnulla prius ad eius notitiam de persona praedicti R.di Patris D.ni Ioannis<sup>a)</sup> Vladislaviensis Episcopi deve- nissent, formavit quosdam articulos, super quibus testes accipiendi interro- garentur, qui sunt huiusmodi:

**Articuli,**  
**super quibus examinari debent testes interrogandi ex mandato**  
**Ss.mi D.ni Nostri Papae**

1º. Petatur a quolibet teste, an cognoscat D.num Ioannem Epub Vladislaviensem. Si dixerit, quod cognoscit, petatur ab eo, a quo tempore notitiam illius habuerit et si novit eius conversationem ante promotionem illius in Episcopum, et quae ea fuerit, et si inculpatae laudabilisque vitae fuit, si cum viris Deum timentibus, an cum scurris et meretricariis illi consuetudo fuit. Et si scit ubi dederit operam litteris, et in quibus Universitatibus: an inter

<sup>113</sup> Vide epistulam Iacobi Puteo sub N. 66.

catholicos vel haereticos, et sub quibus praeceptoribus, et quid studuerit, et an dederit unquam operam Sacris Litteris, vel non.

2º. Item petatur, quanto tempore agat Episcopum D.nus Ioannes Vladislaviensis, et unde est assumptus, et qualiter audivit eum se in priori Episcopatu gessisse: si officio suo pastorali diligenter incumbebat, si se opponebat haereticis, an potius ipse promovebat haereticas pravitates. Num docebat aliquos novos ab haereticis editos Catechismos. Num fovebat circa se fratres, aut consanguineos, aut familiares aliquos de haeresi suspectos. Numquid habebat familiam disciplinatam et iuxta Orthodoxam Ecclesiam in cultu Dei, Sacramentorum [2v] communione, ieuniis et festis Sanctorum et aliis ritibus Ecclesiae sese conservantem, an potius totum contrarium. Et qua ratione retinebat Simonem de Proschovize haereticum, Cracovie per sententiam Vicarii in spiritualibus damnatum<sup>114</sup>. Et num promoverit eum Palatino Vilnensi<sup>115</sup>. Et quare suspectum de haeresi tunc retinebat. Specificet etiam testis illos, quos nunc Episcopus retinet secum, et num ad mensam quoque de praesenti habeat secum aliquos de fide suspectos, cum quibus de rebus, quae nunc ab haereticis controvvertuntur, sermonem facit. Et si aliquos specificaverit, tunc interrogetur num isti publice vel occulte haereses promoveant, aut pro illis disputent, aliosque ad pravitatem haereticam sollicitent, libellos pestiferos spargant et communicent, pios inficiendo.

3º. Item petatur ab eodem teste, num sciat, quos nunc auctores legat ipse Episcopus, et circa quos magis sese occupet: novatoresne istos, an veteres et catholicos.

4º. Item petatur a teste, num fuerit idem Episcopus a Synodo Provinciali, aut ab Archiepiscopo suo privatum vel publice admonitus, ut a se removeret suspectos de haeresi familiares, et abstineret a talium suspectorum et haereticorum conversatione, aut a talium librorum lectione, qui etiam pium hominem possunt corrumpere.

<sup>114</sup> Simon Zaci (Zak) de Proszowice (ca. 1507-1591), professor in Collegio Maiore Academiae Cracoviensis a. 1532-1539, ubi ad religionem reformatam propendere coepit; a. 1551 a Bartholomaeo Gątkowski, officiali et vicario in spiritualibus epi Andreas Zebrzydowski, excommunicatus, anno sequenti Brestiam Lithuaniae, sub tutelam Nicolai Radziwiłł "Nigri" se contulit; a. 1555-1562 superintendens Ecclesiarum reformatarum Lithuaniae et Podlachiae, annis vero 1562-1570 Ecclesiae Cracoviensis. Vitae eius narratores de vinculis eum cum epo Drohojowski coniungentibus nullam faciunt mentionem (cfr. Włodzimierz Budka, *Szymon Zaczysz*, "Reformacja w Polsce", 2 (1922), p. 288-293, Barycz, *U kolekci małopolskiego ruchu reformacyjnego* [Reformationis in Polonia Minore incunabula], "Odrodzenie i reformacja w Polsce", 1 (1956), p. 14. Servata tamen sunt litterae Andreea Zebrzydowski ad Ioannem Drohojowski 19 XII 1551 et Bartholomeum Gątkowski 9 II 1552 datae, ex quibus sequitur, ut Drohojowski operam suam pro eo interposuerit, epus vero Cracoviensis propterea executionem sententiae a vicario suo pronuntiatae retardare conatus sit (vide Wiśłocki, p. 387 et 392); quae sententia certo ante mensem Maium 1551 a. prolata erat, nam capitulum Cracoviense in instructione eodem mense scripta in usum legatorum suorum ad synodus provincialem Petricoviensem epum Drohojowski reprehendit, "quod non ita pridem Simonem, quandam presbyterum haereticum, per sententiam condemnatum ac a divinis suspensem, ad se recepit et eum fovet et in sacrificio operari permittit" (Wiśłocki, p. 483).

<sup>115</sup> Nicolaus Radziwiłł "Niger".

5º. Item quaeratur a teste, num sciat praedictum Episcopum fecisse confessionem fidei in Synodo Provinciali. Et qualiter illam fecerit, et de quibus [3r] rebus fuerit in Synodo redargutus.

6º. Item petatur a quolibet teste, quibus promoventibus: virtute-ne aut sanctimonia vitae, aut aliis meritis suis, vel potius consanguineorum precibus, aut pecuniae interventu sit in Episcopum promotus. Et si dicet, quod per pecuniam, quaeratur, unde id sciat, et num etiam ad minora beneficia ante promotionem in Episcopatum per pecuniam fuerit promotus. Et quomodo Canonicatum Cracoviensem obtainuerit<sup>116</sup>, et a quo habuerit resignationem illius, et num sit fama publica, quod per quingentorum ducatorum enumerationem.

7º. Item petatur a teste, num audiverit antea aliquando dictum Episcopum fuisse infamatum haereseos, et num etiam a Sede Apostolica de hoc fuerit paterne admonitus, imo contra eum fuisse decretam citationem ad comparandum personaliter in Romana Curia, et num in hac re pro evitanda profecione illuc, intercessionibus Regis se adiuverit.

8º. Item petatur a teste, si scit qualiter se nunc gerat ipse Episcopus in Dei Ecclesia: si in aliquo iam emendatus est, si habet testimonium bonum vitae exemplaris suae, si implet munus pastorale, si circa Ecclesiam suam, et in Diocesi sua manet et intendit diligenter in fidem catholicam, conversationem et mores suarum oviularum; si non connivet ad haereses et scandalis, si non patrocinatur illis, si plus non sit occupatus circa saecularia negotia, puta agriculturam, praedia et regesta onerum et proventuum, quam munus suum Episcopale; si non saepius manet extra suam Diocesim, quam circa [3v] illam et gregem suum.

9º. Item quaeratur a teste, num sciat, ubi nunc agit Fricius, advocatus Volbioriensis<sup>117</sup>. Et si dixerit locum et circa quem degit, quaeratur, num idem Fricius dudum de haeresi fuerit infamatus, et quod idem fuerit quondam servitor Stanislai Lassci apostatae, qui sua doctrina pestifera totam Angliam infecit<sup>118</sup>. Et num idem Episcopus Vladislaviensis nunc receperit eum secum in Germaniam, conducendo Ill.mam Dominam Sophiam, Ducis Bransicensis Coniugem<sup>119</sup>, eumque tractet in mensa humaniter, consilia sua cum eo communicans.

<sup>116</sup> Drohojowski hunc canonicatum obtinuit a. 1533, cfr. Kot DJ, p. 380.

<sup>117</sup> Advocatio Volbioriensis genti Friciorum de Modrzew iure hereditario conferebatur. Andreas eam a Drohojowski obtinuit patri succedendo (Kot AFM, p. 120), capitulum vero Vladislaviense 5 I 1554 illum in ea confirmavit (Ulanowski ACPV, p. 328). Cfr. infra A. 25.

<sup>118</sup> Manifesto hic non de Stanislaw Łaski (1500-1550), palatino Siradiensi, sed de fratre eius, Ioanne, sermo est. Fricius eum cognovit et amicitiam cum eo fecit a. 1531, post mortem primatis et cancellarii regni Poloniae, Ioannis Łaski, in cuius cancellaria a. 1523-1531 munere notarii fungebatur (Kot AFM, p. 11, 16). Nihilominus Fricius duabus legationibus Stanislai Łaski interfuit, quod ipse Drohojowski testatur (cfr. A. 25).

<sup>119</sup> De itinere Drohojowski in Germaniam vide supra, N. 70, 74. Cfr. responsum eius ad hanc obiectionem datum in A. 25.

10<sup>o</sup>. Item petatur a teste, si scit, quod ipse Fricius scripserit quaedam opuscula erronea de Ecclesia, multum a Conciliis Sanctorum Patrum et Catholica Ecclesia discrepantia, quae olim Cracoviae non fuerunt permissa typis mandari, sed illa Germaniae dederit imprimenda<sup>120</sup>.

11<sup>o</sup>. Item quaeratur a teste, num idem Episcopus in curia sua annis transactis quandam Paedagogum suorum nepotum<sup>121</sup>, et item alias familiares et consanguineos aliquando foverit, et nunc etiam foveat, de haeresi multum suspectos, qui sacrosanctum Eucharistiae sacramentum et Missae sacrificium appellant Idolatriam, et tempore eiusdem sacrificii, dum elevatur sacra Hostia et praeciosus Calix, ab eis oculos avertant, non sine magno fidelium scandalo. Item num Paedagogum eundem cum nepotibus suis Vitembergam vel Lipsiam pro addiscendis novitatibus istis, atque etiam Decanum Volboreensem ad eundem effectum miserit<sup>122</sup>.

12<sup>o</sup>. Item quaeratur etiam, quomodo se gessit idem Episcopus [4r] Gedani, cum aestate praeterita ibi fuerit: num permiserit multos pseudo Praedicatores errores, blasphemias et manifestas haereses praedicare, dicendo inter caetera falsis illis Concionatoribus: Praedicate quidquid volueritis contra Episcoporum officium, dummodo contra personam meam nihil dicatis<sup>123</sup>.

13<sup>o</sup>. Item quaeratur, num Episcopus subditos Ecclesiae occupet, expilet, ac spoliет novis et inauditiis exactionibus, et eos in libertatibus eorum non conservet. Et num eos ad labores, etiam diebus celebribus et festivis non parcendo, non sine magno scandalo Christifidelium, adigat.

14<sup>o</sup>. Item num fuerint saepius apud Capitulum eius de illo querimoniae factae, et nunquid Capitulum eum de his charitable admonuerit<sup>124</sup>. Et si scit, quomodo Capituli sui admonitiones huiusmodi admiserit, vel repudia verit.

15<sup>o</sup>. Item quaeratur, si de praemissis omnibus et singulis eorum ubique in Regno Poloniae est vox publica et fama notoria.

Interrogantur singuli testes, num sint veri, boni Christiani, an in communi Christifidelium et Sancate Matris Ecclesiae consortio vivant, num singulis annis peccata sua confiteantur et sanctissimam Eucharistiam sumant, num sint predicti D.ni Episcopi amici vel inimici, et quis ad testificandum eos adduxerit et reliqua, quae de iure vel consuetudine interrogari solent.

---

<sup>120</sup> *Liber de Ecclesia* primum editus erat Basileae, vide N. 100.

<sup>121</sup> Stanislaus de Volborio, vide infra, depositionem Matthiae de Volborio.

<sup>122</sup> Vide infra, in depositione Matthiae de Volborio.

<sup>123</sup> Vide N. 58.

<sup>124</sup> In actis capitularibus una tantum huiusmodi admonitio asservata est, 2 I 1556 episcopo facta "super arendatione bonorum episcopalium homini saeculari" et "super oppressionibus subditorum" (Ułanowski ACPV, p. 329).

### Attestationes

sumptae a Rev.mo D.no Aloysio Lipomano, Epo Veronensi, Ss.mi Domini Nostri Pauli Papae Quarti et Sanctae Sedis Apostolicae in Regno [4v] Poloniae Nuntio, de speciali Sancitatis suae mandato, super fide, doctrina, vita, moribus et conversatione R.di Patris D.ni Ioannis, Episcopi Vladislaviensis, ad interrogationem suprascriptorum Capitulorum, per me, Franciscum Varugolam, publicum apostolica et imperiali auctoritatibus Notarium, fideliter descriptae et in publicam formam redactae.

R.dus D.nus **Magister Gabriel Ordinis Praedicatorum**, Doctor et ex dispensatione apostolica Canonicus et Concionator Gnesnensis<sup>125</sup>, testis, admonitus per R.m D. Nuntium Apostolicum hoc mane, quod est XXII mensis Martii 1556, quod hodie se conferret ad Dominationem Suam Rev.mam et ex parte Ss.mi D.ni Nostri Papae requisitus praebetur testimonium veritati super his, quae interrogaretur et sciret, comparuit coram praedicto Rev.mo Domino Nuntio apostolico in Arce Lovitii in eius cubiculo hora vigesima prima, uti obedientiae filius. Qui ab ipso Rev.mo D.no Nuntio iuxta quaedam capitula, quae habebat in manibus, interrogatus fuit, et is, delato ei iuramento in forma, hoc modo ad interrogata respondit:

Et primo super primo interrogatus, num cognoscat Rev.dum D.num Ioan-nem Episcopum Vladislaviensem, respondit, quod optime cognoscit ipsum D.num Episcopum, et quod saepe loquutus est cum eo, et ad eius mensam comedit tanquam amicus ab eo vocatus, et quod cognoscit eum, ex quo fuit Episcopus Chelmensis, non autem antea, audivit tamen dici, quod antequam promoveretur in Episcopum, credebatur esse vir bonus et studiosus bonarum litterarum.

[5r] Super 2º capitulo interrogatus, quomodo se bene in priori Episcopatu gessit, respondit se intellexisse quod semper bene. Et de caeteris contentis in isto capitulo interrogatus, respondit se nihil penitus scire, praeterquam quod ad materiam Simonis de Proschovize, haeretici, audivisse se dicit verum, quod continetur in articulo; et de promotione eius cum Vilnensi Palatino; et quod Gedani audivit dici, quod hoc ei erat obiectum ab Epo Craccoviensi<sup>126</sup> in Regis praesentia; et quod hoc sit veritas. Ipse D.nus Episcopus Vladislaviensis dixit ipsi testi se accusatum iniuste ab Epo Craccoviensi, quod hunc Simonem promoverit Palatino: quia hoc non feci. Dixit tamen ipse testis, quod Epus Vladislaviensis habebat hunc Simonem pro bono viro et catholico, cum tamen veritas sit eum esse haereticum. Et, ut audivit, ipse Epi-

---

<sup>125</sup> Gabriel de Lovicio (ca. 1515-1565) OP, professor theologiae in schola cathedrali Gnesnensi; ab a. 1551, dispensatione apostolica, quam auctore aepo Dziergowski adeptus est, canonicus Gnesnensis. Admodum diligentem ac sedulam operam in capitulo praestabat.

<sup>126</sup> Andreas Zebrzydowski.

scopus acceperat eum in quodam oppido, Vielisca dicto<sup>127</sup>, laborantem hac infamia, et ex edicto Vicarii in spiritualibus Episcopi Cracoviensis fuit coactus eum dimittere.

Super 3º articulo interrogatus, respondit se nihil scire.

Super 4º interrogatus, respondit se scire, quod in Synodo Provinciali, iam quatuor annis celebrata, fuit admonitus, ne istos libros suspectos legeret<sup>128</sup>; et quod ipse confessus est se tales libros habere, quorum lectio per censuras apostolicas erat prohibita, sed quod ipse non poterat carere his libris, quia volebat disputare contra haereticos, et non posset eos convincere, nisi sciret eorum [5v] argumenta per illorum libros.

Super 5º capitulo diligenter interrogatus, respondit, quod omnes Episcopi in eadem Synodo fecerunt suas confessiones, inter quos etiam ipse fecit suam satis generalem, et dum incidisset mentio de invocatione Sanctorum, ipse non satis aperte explicavit sententiam suam.

Super 6º dixit se nihil scire, nisi quod creditur Palatinum Vilnensem fuisse eius Promotorem, et quod ita tenetur a multis.

Super 7º dixit se nihil scire.

Super 8º interrogatus, respondit quoad mores se nihil scire, et etiam quoad vitam eius, sed quantum ad fidem, quae olim dicebantur occulte, nunc apertere feruntur, et ab omnibus tenetur pro suspecto de fide, immo in eius Diocesi quotidie pullulant innovationes, et nulla per eum fit provisio. Et credit Dominus testis, ex quo est Episcopus, nec Chrisma confecisse, nec Ordines sacros contulisse, dicens ipsum fere semper manere in Volborio, quod est extra suam Diocesim, licet sit in eius ditione<sup>129</sup>.

Super 9º capitulo interrogatus, respondit se intellexisse verum esse, quod Fricius conversatur familiariter cum D.no Episcopo praedicto et versatur frequenter in eius mensa, et quod eum conduxit secum in Germaniam, sicut continetur in capitulo; et quod alio modo Episcopus praedictus nolebat ire in illa societate, nisi eum secum haberet; et quod designabat eum conducere secum ad Concilium Oecumenicum, quando celebraretur<sup>130</sup>.

[6r] Super decimo capitulo dixit se scire eum scripsisse, prout in articulo, et ab omnibus viris doctis habetur pro haeretico.

<sup>127</sup> Wieliczka prope Cracoviam.

<sup>128</sup> In synodo provinciali Petricoviensi, in qua singuli episcopi professionem fidei singillatim praestiterunt seseque obstrinxerunt se nullam cum haereticis societatem inituros, neque libros eorum habituos vel lecturos esse (Subera, p. 99).

<sup>129</sup> Volborium (Wolbórz), oppidum, 50 km ad meridiem et orientem a Łódź situm, possessio et sedes episcoporum Vladislaviensium, usque ad a. 1764 in finibus archidioecesis Gnesensis continebatur.

<sup>130</sup> Eiusmodi intentionem se habere Drohojowski ostendit, cum primo vere anni 1547, tunc epus Chelmensis, una cum palatino Siradiensi, Stanislaw Łaski, legatus Sigismundi Augusti ad Concilium Tridentinum designatus esset. Profectio tamen eorum revocata erat propter concilii Tridenti Bononiam translationem (Kot AFN, p. 78). Etiam a. 1552 de hac re sermo erat, cum Drohojowski iterum legatus Tridentum mittendus, tunc temporis una cum Iacobo Uchański et Stanislaw Tęczyński, nominatus esset (ibidem, p. 106).

Super undecimo capitulo nihil scit, nisi quod audivit tantum dici de nepotibus missis Vitembergam, prout in articulo.

Super XII<sup>o</sup> capitulo se nihil scire poenitus respondit.

Super XIII<sup>o</sup> capitulo audivit a propriis subditis et etiam ab aliis articulum hunc in omnibus verum esse, et non tantum ab ipso Episcopo subditos opprimi, sed etiam a fratre eius<sup>131</sup>.

Super 14<sup>o</sup> capitulo respondit se nihil scire certe, sed audivisse a quibusdam viris gravibus articulum esse verum.

Super ultimo respondit de aliquibus istorum esse publicam vocem et famam, sed de omnibus non auderet dicere.

Circa personam recte respondit, et quod non est inimicus, nec testificatus fuisset, nisi ex pracepto apostolico per eundem Rev.mum D.num Nuntium sibi facto, et quod ipse nesciebat se vocari pro hoc. Et est aetatis annorum quinquaginta, vel circa.

Die Lunae XXX mensis Martii 1556 post Nonam in eodem loco Lovitii examinatus fuit **Matthias Zibicensis de Volporio** Ill.mi D.ni Archiepiscopi Gnesnensis<sup>132</sup>. Delato ei primum iuramento de veritate dicenda, iuramento suo ad interrogata ita respondit:

[6v] Et primo interrogatus super primo, nunquid cognoscat Rev.dum Dominum Epum Vladislaviensem, respondit, quod sic, quia fecit ei societatem in isto itinere ultimo, quo in Carnisprivio praeterito, associatus est Ill.mam Dominam Sophiam Reginulam, Ducissam Bransvicensem, ad Excell.mum Dominum Ducem, virum suum; et quod pro xenio donavit ei vestem ceruleam ex panno, quam habebat, et unam marcham, quae ascendit ad summam 48 grossorum Polonicorum, cum expensis.

Interrogatus, si vidit unquam D.num Episcopum comedentem in hoc itinere, respondit, quod sic, et multoties. Interrogatus, quisnam comedederet cum eo, dixit, quod inter caeteros erant Andreas Fricius et quidam Canonicus Vladislaviensis cognomine Blinoschi<sup>133</sup>. Interrogatus, si comedederet vel carnes vel pisces in his diebus quadragesimalibus, respondit, quod in mensa sua D.nus Episcopus comedebat pisces, sed tota familia sua comedebat carnes, quia non habebat pisces.

Interrogatus, quisnam iret in curru una cum Rev.do D.no Episcopo, respondit, quod Fricius ille, et non alias. Item interrogatus, num viderit D.num Episcopum aliquando in hoc itinere interessentem missae celebrationi, re-

<sup>131</sup> Stanislaus Drohojowski, capitaneus Volboriensis.

<sup>132</sup> Matthias de Volborio, persona alias ignota. Agitur fortassis de illo clero, cuius nomen in diario itineris reginulae Sophiae, in quo omnia comitatus eius membra nominatim enumerantur, non occurrit (cfr. Pirożyński, p. 39).

<sup>133</sup> Andreas Blinowski († 1574), aulicus Ioannis Drohojowski, a. 1553 canonicatu Vladislaviensi ab eo donatus; postea (initio a. 1574) nominatus epus titularis Margaritensis et auxiliaris Vladislaviensis. Inter legatos, qui reginulam Sophiam in Germaniam comitati sunt, nominatim non est memoratus (cfr. Pirożyński, p. 39).

spondit, quod in novem hebdomadibus eundo et redeuendo semel tantum missam audientem vidit, et non amplius, subdens ex se: Immo ipse D.nus Episcopus non habebat secum aliquem Capellananum.

Super XIº capitulo interrogatus, nunquid sciat D.num Episcopum habere nepotem aliquem litteris operam dantem Vitembergae cum Stanislao Pae-dagogo a [7r] Volburga [sic], ex quibus iuniorem, Thomam nomine, tunc D.nus Episcopus traduxit secum in Poloniam<sup>134</sup>; Lypiae autem habere quintum nepotem, Decanum Valboriensem [sic], quem ipse testis vidit ibi, cum transiret per eum locum<sup>135</sup>. Dixit etiam interrogatus se vidisse D.num Episcopum comedentem cum Magistris dictae Universitatis Lypsiensis, quos secum vocavit ad prandium.

Super generalibus recte respondit, et quod est aetatis annorum 35 vel circa.

Die XII Aprilis anni eiusdem 1556, cum quaedam nova delata essent ad aures praedicti Rev.mi D.ni Nuntii, quae his proximis diebus occurrerant de persona eiusdem Rev.di D.ni Episcopi, formavit alium articulum additionalem pro sumendis super eo informationibus. Et per suas missivas litteras antea vocavit tres de corpore Capituli Ecclesiae Vladislaviensis, qui venientes examinati sunt. Tenor vero eiusdem articuli additi sequitur, et est talis:

#### Articulus additus

Item interrogatur testis, nunquid sciat D.num Episcopum Vladislavensem in proxima feria quinta Coenae Domini anni praesentis 1556, cum scholares communicassent de more et ipse Episcopus adesset in Ecclesia, vocasse unum ex dictis scholaribus, eumque interrogasse: Heus tu, quid te credis in Communione sumpsisse? Cumque ille respondisset: Credo me sumpsisse verum et sanctum Corpus Domini Nostri Iesu Christi, quod de Beata Virgine traxit, dictum Episcopum ei respondisse: [7v] Non, non; male credis; sumpsisti signum corporis, non ipsum Corpus. Illocoque vocasse Magistrum Scholae et dixisse ei: Tu male doces hos scholares; doce eos credere sumere sig-

<sup>134</sup> Ioannes Thomas Drohojowski (ca. 1535-1605), filius Christophori, secundi fratris episcopi, nomen suum in Universitate Vitebergensi die 21 VI 1555 inscrispsit, postea regni Poloniae referendarius (ab a. 1589), deinde simul cum fratre Chiliano Tubingae studia sua continuasse fertur (cfr. Kazimierz Lepszy, *Drohojowski Jan Tomasz*, PSB V, p.382-384).

<sup>135</sup> Quis ille fuerit invenire non potui. In *Metrica seu libro nationis Polonicae Universitatis Lipsiensis ab a. 1409 usque ad 1600* (ed. Stanislaus Tomkiewicz in: *Archiwum do Dziejów Literatury i Oświaty w Polsce* [Archivum ad historiam cultus litterarum et instructionis publicae in Polonia spectans], T. 2, Cracoviae 1882, p. 430-431) inscripti sunt a. 1555 et 1556 tantum Adamus Wieniawsky, Ioannes Gloskowski et Christophorus Komorowski, castellani Polanecensis filius, quorum nullus in stemmate gentili Ioannis Drohojowski occurrit (cfr. Drohojowski KD I, appendix). Universitatem autem Vitebergensem a. 1556 ingressus est quidam Ioannes Parys (cfr. Theodor Wotschke, *Polnische Studenten in Wittenberg*, "Jahrbücher für Kultur und Geschichte der Slaven", N.F., 2 (1926) 186), qui potuit esse Ioannes Drohojowski († 1580), filius Christophori, fratris episcopi. Omnes enim Drohojowski ex hoc stemmate orti cognomine Paridis utebantur, quod gentis eorum conditoris olim erat (Drohojowski KD I, p. 35).

num Corporis Christi, non autem verum Corpus. Item num verum sit, quod quidam Canonicus Vladislaviensis, post duas horas, intellectis his verbis a D.no Episcopo dictis, eum accesserit, dicens: Rev.de Domine, quare Dominatio V.ra mandat ita doceri scholares, cum veritas sit in sancta Eucharistia contineri verum Corpus et Sanguinem Salvatoris nostri, quod peperit in Cruce, nec signum esse duntaxat et nil amplius. Ipsumque Episcopum tunc erubuisse dixisseque: Ah, non est verum me ita dixisse, isti me traducunt et fingunt me dicere, quae non dixi, quia odio me prosequuntur; ego sum bonus Christianus. Et si aliquid se super hoc articulo scire testis dixerit, interrogetur, quis sit ille Canonicus, qui Episcopum reprehendit, quomodo vocetur<sup>136</sup>, ubi habitet, quibus etiam praesentibus hoc officio functus sit, et quomodo vocetur scholarium Magister<sup>137</sup>.

Die Veneris, X<sup>a</sup> Aprilis 1556, de mane, in eodem loco, constitutus coram Rev.mo D.no Aloysio Lipomano, Epo Veronensi et Nuntio Apostolico, Rev.dus D.nus **Iacobus Paczinski, Decanus Vladislaviensis**<sup>138</sup>, vocatus specialiter per litteras eiusdem Rev.mi D.ni Nuntii Apostolici cum duobus Rev.dis fratribus de Capitulo, delato Dominationi suae per eundem Rev.mum D.num Nuntium iuramento de mandato Ss.mi D.ni Nostri Papae de dicenda veritate super [8r] his de quibus fuerit interrogatus, iuramento suo respondit:

In primis interrogatus super primo articulo concernente personam D.ni Episcopi Vladislaviensis, dixit se cognovisse dictum D.num Episcopum, etiam antequam ad Episcopatum promoveretur, et cum eo Romae fuisse, et in eodem cubiculo cum eo moratum fuisse, et quod tunc valde ei probabatur eius conversatio, quia semper cum viris gravibus et Deum timentibus conversabatur, et erat tunc temporis secretarius bonae memoriae Cardinalis de Giucciiis<sup>139</sup>, et dabat semper operam litteris politioribus.

Super 2<sup>o</sup> capitulo interrogatus dixit Dominus testis, quod postquam reversi sunt in Poloniam ipse intermisit consutudinem habere cum eo, et interim fuit promotus, primum ad Kamenesensem [sic], deinde ad Chelmensem Ecclesiam<sup>140</sup>. Interrogatus qua via fuerit promotus, bona an mala, respondit nescire, sed tantum audivisse, quod Canonicatum Cracoviensem a quodam

<sup>136</sup> Canonicus ille erat Stanislaus Stempowski, vide eius depositionem infra.

<sup>137</sup> Albertus, testimonium eius vide infra.

<sup>138</sup> Iacobus Paczyński (ca 1511 - post 1566), canonicus Vladislaviensis ab a. 1535, praepositus Crusvicensis ab a. 1540, decanus Vladislaviensis ab a. 1554, intimus domesticus Andreae Zebrzydowskii ab a. 1546, cuius legationi ad reginam Hungariae Isabellam Zápolya a. 1549 intererat, 1549-1551 cancellarius eiusdem reginae, 1552-1555 cancellarius Andreae Zebrzydowskii in dioecesi Cracoviensi.

<sup>139</sup> Hieronymus Ghinucci († 1541), secretarius pontificius inde a pontificatu Iulii II, epus Wigorniensis (Worcester) a. 1522-1535, processum Romanum contra Lutherum peregit, SRE cardinalis ab a. 1534, litterarum humaniorum cultor, intimus Pauli III, praesertim in negotio concilii oecumenici convocandi, consiliarius. Drohojowski fortassis secretarius eius fuit a. 1525-1529, cum in Italia commoraretur (Kot DJ, p. 380).

<sup>140</sup> Confirmationem pontificiam ad dioecesim Camenecensem adeptus est 26 VIII 1545, translationem vero ad Chelmensem 26 II 1546 (cfr. Gulik-Eubel HC III, p. 148, 164).

nobili pro octingentis florenis redemerat; ad Episcopatum autem Kameneensem intellexit fuisse promotum precibus et instantia Rev.mi D.ni Archiepiscopi Gnesensis, qui appellabatur Gamrath<sup>141</sup>, qui amabat quandam mulierem, quae habitabat in domo ipsius D.ni Epi Vladislaviensis, dum adhuc esset Canonicus Cracoviensis, et creditum fuit, quod ista mulier fuerit in causa promotionis eius, quoniam ipse non inservierat Regi. Ad Episcopatum vero Chelmensem credit fuisse promotum favore Regis, [8v] quia iam erat Episcopus, nam videtur in hoc Regno, quod huiusmodi Episcopatus gradatim dentur. Interrogatus, quomodo se gesserit in istis Episcopatibus, respondit se intellexisse, quod valde fuit mutatus ab illo bono proposito et instituto, in quo prius erat, quando Dominus testis secum conversabatur. Bene audivisse ex ore ipsius D.ni Episcopi, qui ei dixerit, multis audientibus, quod ipse confecerat novum Cathechismum iuxta ritum veteris Ecclesiae et sermones quosdam, quos dederat Parrocchiis praedicandos<sup>142</sup>, adiiciens, quod non esset malum, si ego darem similes in hoc Episcopatu Vladislaviensi. Quales etiam fuerint, Dominatio sua ignorat.

Interrogatus, si dici audavit, quod D.nus Episcopus praedictus imbiberit aliquam malam doctrinam, et a quo, respondit se intellexisse fuisse illi consuetudinem cum quodam fratre suo consobrino, nominato Orzechowski<sup>143</sup>, qui in Germania et deinde in Italia litteris operam dederat, qui inter primos autores motuum istorum fuit in hoc Regno, et existens Sacerdos eo temeritatis pervenit, ut uxorem duceret; et is continue erat cum D.no Episcopo. Interrogatus de Simone de Proschovize, haeretico, dixit verum esse, quod stetit cum D.no Episcopo forte per biennium, vel circa. Quod autem dederit eum Palatino Vilnensi, nescit, sed ita a multis ferebatur; et quod propterea ipse D.nus Episcopus est charus D.no Palatino.

Interrogatus, si de praesenti habeat secum aliquos infectos, quos etiam ad mensam teneat, respondit se scire fratrem eius germanum haereticum esse et [9r] habitare secum, quem etiam charissimum habet<sup>144</sup>. Item habere Merescallum [sic] suum Magistrum Domus, qui etiam est maxime haereticus<sup>145</sup>. Et in mensa D.ni Episcopi semper proponunt quaestiones haereticas et defendunt. Habet etiam Andream Fricium, qui opus illud haereticum compositus, cuius doctrinam ipse valde approbat. Habet etiam Cancellarium suum, qui est eadem labe infectus<sup>146</sup>, qui inter caetera multa mala dixit contra Romanum Pontificem. Et Dominus testis, dum esset Cracoviae, in eius vi-

<sup>141</sup> Petrus Gamrat (1487-1545), epus Cracoviensis ab a. 1538 et simul aepus Gnesensis ab a. 1541.

<sup>142</sup> Agitur de catechismo et sermonibus, qui nunquam typis impressi sunt et perierunt (cfr. Kot DJ, p. 381). Paulus Głogowski in depositione sua asseruit hic potius de solis sermonibus actum esse (vide infra).

<sup>143</sup> Stanislaus Orzechowski. Eius amita, Catharina Orzechowska, fuit mater episcopi Ioannis Drohojowski (Kot DJ, p. 380).

<sup>144</sup> Scil. Stanislaum Drohojowski.

<sup>145</sup> Andreas Jaktorowski, in Universitate Vitebergensi cum Stanislao Drohojowski condiscipulus, cfr. Kot AFM, p. 124 et passim.

<sup>146</sup> Ioannes de Turobin, canonicus Chelmensis.

sitatione invenit super mensa eius quosdam libros haereticos, quos ipse Cancellarius amovit, ne inspicerentur. Et demum fere tota eius Curia est haeretica.

Super 3º interrogatus, respondit se vidisse eum legere Cyprianum et Chrisostomum et alios Catholicos auctores. Scit etiam eum legere istos novos libros haereticorum et, ubicumque potest, eos emit et multum in eis delectatur, et ostendit etiam aliis.

Super 4º articulo dixit in omnibus articulum verum esse, et ipse fuit praesens.

Super 5º respondit se fuisse praesentem, quando fuit redargutus in Syndo, sed non recordatur quid responderit. Audivisse tamen noluisse primum respondere ad omnia capitula formulae fidei propositae, sed cum urgeretur per Rev.mum D.num Archiepiscopum, tandem emisisse confessionem.

Super 6º respondit se scire, sicut dixit in 2º articulo, specificando magis negocium Canonicatus Cracoviensis, quod quingenti ducati auri [9v] constituant octingentos vel circa de moneta.

Super 7º capitulo dixit se intellexisse, prout in articulo, sed quod fuerit vocatus ad Curiam non audivit.

Super 8º capitulo respondit non habere bonum testimonium vitae suaee inter Catholicos, sed inter haereticos habet bonum. Interrogatus, quomodo nunc versetur circa Ecclesiam, respondit: Ante adventum Rev.mae Dominationis V.rae erat rarissimus in Ecclesia, imo quando imminebat aliquod festum solemne, causabatur aliquid, propter quod debebat recedere ab Ecclesia; nunc autem videtur esse frequentior, nam celebravit in Ecclesia Cathedrali in Dominica in Ramis Palmarum et in Coena Domini, in qua etiam consecravit Sacra menta, nec non in die Paschatis; et interfuit his omnibus sanctis diebus omnibus officiis, licet fortasse invitus. Et cum est in Ecclesia, manet cum magna devotione, genua flectit et habet manus iunctas. Interrogatus, si contulit sacros Ordines aliquando, respondit se nunquam vidisse, nec intellexisse eum contulisse. In caeteris capitulo respondit omnia esse vera.

Super 9º articulo respondit, capitulo in omnibus esse verum, et quod nunc Volboriae, in possessionibus dicti D.ni Episcopi ipse Fricius degit.

Super Xº capitulo dicit articulum verissimum esse.

Super XIº capitulo interrogatus, respondit se cognovisse et vidisse Volboriae Paedagogum cum pueris. An autem sit infectus, nescit; audivisse tamen eos postea fuisse missos in Germaniam pro addiscedis litteris, sed sibi disisse D.num Episcopum fuisse missos [10r] Parisias.

Super XIIº dixit se audivisse a D.no Episcopo, cum est reversus ex Gedano, se ibi instituisse quosdam Concionatores, qui non abhorrebat ab institutis veteris Ecclesiae. De caeteris contentis in capitulo nescit. Fama tamen erat, quod ipse Episcopus multa prastiterat in gratiam Gedanensem, et quod ab eis multa dona reportaverat, et quod etiam nunc illuc profectus est,

et mentionem fecerat de adducendis secum aliquibus ex fratribus Capituli, postea neminem requisivit.

Super 13<sup>o</sup> et 14<sup>o</sup> dixit esse publicam querimoniam super istis, et quod Capitulum multoties ab his pauperibus fuit conventum; et quod ipsi D.num Episcopum admonuerunt, etiam per Nuntios quandoque ad eum missos; qui noluit acquiescere admonitionibus eorum, sed nunc utcumque videtur parumper annuere.

Super ultimo, de publica voce et fama, dixit capitulo verissimum esse.

Super articulo ultimo loco addito respondit Dominus testis, quod ipse vidit D.num Episcopum inclinatum loqui cum Scholari; quid autem dixerit ei, ipse nescit; aderat etiam Magister Scholae, qui, ut sibi videbatur, respondebat loco pueri. Audivit etiam de facta admonitione, sed per quem, nescit; sed hoc scit, quod peractis Paschalibus D.nus Episcopus fuit cum Capitulo, et advocato Magistro Scholae, in praesentia omnium Rev.dorum Capitularium, conquestus est de eo, dicens: Tu traducis me et infamas me dixisse in Sancta Eucharistia non esse nisi signum Corporis Christi; ego dixi, quod ibi [10v] est verum Corpus Christi, quod de Virgine Maria pure traxit, et quod pepenit in Cruce et est in Caelo, corpus dico verissimum et efficacissimum; quod autem dixi de signo, dicebam esse meriti Domini Nostri Iesu Christi. Et tunc Magistrum Scholae ei respondisse: Rev.me Domine, et ego docui scholares meos, sicut accepi a Patribus meis, videlicet ibi esse verum Corpus Christi, sed audivi Dominationem V.ram Rev.mam dixisse de signo, et nihil aliud retuli, quam quod audivi ab ore eius. Et ipse respondit: Tu male intellexisti. Et quod Magister iterum dixit: Non haec retuli ex malevolentia, sed quae audivi nunciavi.

Super generalibus circa personam recte respondit. Et est aetatis 45 annorum vel circa; nec est inimicus ipsius D.ni Episcopi, imo valde ei affectus et magno pretio redimeret bonam famam eius.

Die eadem post nonam, in eodem loco, constitutus, ut supra, Rev.dus D.nus **Andreas Duch[nicki], Archidiaconus Pomeraniae**<sup>147</sup>, testis, ut ante, vocatus, monitus, iuratus et interrogatus, iuramento suo testificando respondit:

Et primo super primo interrogatus, respondit se cognoscere Episcopum suum D.num Ioannem Vladislaviensem, postquam in Episcopum Vladislaviensem promotus fuit, dicens: Audi[vi] fuisse promotum favore D.ni Palatini Cracoviensis mortui<sup>148</sup>.

Super 2<sup>o</sup> capitulo respondit se nihil scire, quia ante non cognovit eum; et praedicasse, nunc autem esse apud Palatinum Vilnensem; per quem [11r] autem promotus fuerit, ignorat. Interrogatus, si habet aliquos familiares,

<sup>147</sup> Andreas Duchnicki (ca 1505-1566), IUD, canonicus Vladislaviensis ab a. 1539, archidiaconus Pomeraniae ab a. 1544; a. 1550 nominatus epus auxiliaris Vladislaviensis (non confirmatus).

<sup>148</sup> Nicolaus Heribert Odnowski († 1555), palatinus Cracoviensis ab a. 1554.

qui sint suspecti de haeresi, respondit se credere, quod sic, et inter caeteros dicitur Cancellarius eius et forte etiam Marescallus<sup>149</sup>; et quod est etiam commensalis eius Andreas Fricius; et quosdam de familia sua habet, qui, quando elevatur Corpus Christi, avertunt faciem.

Super 3<sup>o</sup> interrogatus dixit se scire, quod legit, et quod libenter legit, sed quid legat, nescit.

Super 4<sup>o</sup> et 5<sup>o</sup> capitulis interrogatus, dixit capitula vera esse, sed de confessione facta certe nescit, sed bene credit.

Super 6<sup>o</sup> respondit se nihil scire, nisi quod habuit Canonicatum Craccoviensem, sed quomodo acquisiverit, nescit.

Super 7<sup>o</sup> interrogatus, dixit nescire aliquid de Romana Curia, sed verum esse Episcopum diffamatum esse apud multos de haeresi, et de opinione istorum novatorum, et maxime de opinione Communionis sub utraque specie.

Super 8<sup>o</sup> interrogatus, respondit non videri aperta scandala; et quod fuit in his sanctis diebus Paschalibus in Ecclesia et celebravit secundum consuetudinem Ecclesiae, praeterquam quod non interfuit processioni in die Paschae, dicendo se laborare et non posse ire. Dicens autem interrogatus ultimam partem articuli esse veram ex communi fama.

Super 9<sup>o</sup> articulo interrogatus, respondit articulum verum esse, et quod nunc agit Volboriae in bonis advocatiae sua.

[11v] Super X<sup>o</sup> capitulo dixit interrogatus, capitulum verum esse.

Super XI<sup>o</sup> articulo interrogatus, respondit se audivisse et vidiisse Paedagogum cum pueris fuisse missos ad studia Germanica.

Super XII<sup>o</sup> capitulo dixit se nihil scire quid fecerit aestate praeterita Gedani, quia non erat praesens, sed iam elapsi sunt tres anni, quod ipse D.nus testis erat cum eo Gedani, quia ibi erat Plebanus et vidit eum loquentem multis vicibus et reprehendentem istos Concionatores et Sacerdotes haereticos, et fuisse rogatum a civibus, ut eos retineret, donec alii sufficerentur in loco eorum, vel per D.num Episcopum alii mitterentur; et quod aliqui sunt dimissi, aliqui vero sponte recesserunt.

Super 13<sup>o</sup> capitulo respondit esse communem rumorem de hoc.

Super 14<sup>o</sup> articulo verum articulum esse dixit, sed quod parum Capitulum suum auditur in hoc, quia D.nus Episcopus respondet: Quid ad vos de bonis meis, cum habeamus mensas distinctas? Curate vestram et relinquite meam.

Super addito capitulo interrogatus, dixit, quod ipse Dominus testis feria quinta Coenae Domini concionatus est in Ecclesia de Sacramento Sanctissimae Eucharistiae, et ante concionem venerat ad eum Magister Scholae dicens ei: Est-ne veritas, quod in Eucharistia sit verum Corpus Christi? Respondit: Ita credas, Frater, et venias hodie ad concionem, quia melius haec [12r] intelliges. Et quod Magister iterum dixit ei: Etsi D.nus Episcopus non

<sup>149</sup> Id est Ioannes de Turobin et Andreas Jakorowski, de quibus supra.

crederet, quomodo consecraret? Et tunc ipse testis dixit: Oportet, quod credit, quia devote celebrat, et ego soleo adstare ei ad librum, dum celebrat et legit Canonem. Postea feria [in] 8<sup>a</sup> Paschae, cum quidam Canonicus accusasset Episcopo Magistrum Scholae, ipse D.nus Episcopus venit in Capitulum, vocato ipso Magistro Scholae, et expurgavit se coram omnibus, quod ipse credebat esse in Eucharistia vivum, verum et efficax Corpus Christi, sicut D.nus Archidiaconus praedicaverat, et obiurgavit Magistrum Scholae, quod traducebat eum, et quod ipse non dixerat esse tantum signum, sed etiam veritatem, tamen Magister Scholae respondit aperte: Domine Rev.me, ita dixi, sicut memini Dominationem V.ram Rev.mam dixisse. Et postea noluit contendere verbis cum eo.

Super generalibus circa personam recte respondit, et quod non est inimicus, imo amicissimus, et non libenter functus est hoc officio, sed propter praeceptum apostolicum fuit coactus. Et est aetatis circiter quinquaginta annorum.

Die Sabbati, XI Aprilis 1556, de mane in eodem loco constitutus, ut ante, Rev.dus D.nus **Stanislaus Stameposchi, Canonicus Vladislaviensis**<sup>150</sup>, testis ut supra vocatus, monitus, iuratus, et interrogatus iuramento suo testificando respondit:

Et primo super primo interrogatus, dixit se cognoscere D.num Ioannem Episcopum Vladislaviensem, postquam promotus fuit ad Episcopatum istum, nam antea ipsum non novit, sed ex fama tantum audivit, cum esset Episcopus [12v] Chelmensis, quod laborabat aliqua infamia haeresis.

Super 2<sup>o</sup> interrogatus, respondit esse quatuor annos, vel circa, quod est Episcopus Vladislaviensis. Interrogatus, qua via promotus sit ad hunc Episcopatum, respondit se audivisse, et hoc esse certum, quod favore Ser.mae Reginae Bonae, cui aliqua dederat, nec non favore moderni Vicecancellarii<sup>151</sup>, cui dimiserat clavem unam, sub qua continebantur quindecim vel circa viliae, quas postea redemit ab eo, et nunc annuatim solvit quingentos florenos de moneta eidem<sup>152</sup>. Quae quidem bona sunt bona Ecclesiae Vladislaviensis. Nunc autem ipse Episcopus impignorat ea quibusdam Nobilibus, quod in maximum tendit praeiudicium Ecclesiae, propter magnas angarias et onera, quae imponunt pauperibus subditis. Interrogatus etiam, respondit se cognovisse Simonem de Proschovize, nunc familiarem Palatini Vilnensis, qui Lithuaniae infect et alias erat in familia D.ni Episcopi praedicti, et bis praedicavit in Ecclesia Vladislaviensi; et cum erronea quaedam dixisset, Rev.di Canonici petierunt ab Episcopo, ut ulterius non praedicaret, et ita nunquam postea praedicavit. Interrogatus circa familiam D.ni Episcopi, respondit esse

<sup>150</sup> Stanislaus Stempowski, canonicus Vladislaviensis saltem ab a. 1531.

<sup>151</sup> Ioannes Przerembski.

<sup>152</sup> Auctores, qui de Ioanne Przerembski et Ioanne Drohojowski scribunt, nullam huius negotii mentionem faciunt (v. Drohojowski, Korytkowski AG, Kot JD).

valde labefactatam, inter quos est frater eius, Stanislaus vocatus, Cancellarius, Marescallus et penes tota familia haeresi infecta; nam nec servant ieiunia nec festa, nec adorant Sanctissimum Sacramentum, sed avertunt faciem et ad aliam partem recedunt, quando sacra Hostia elevatur; demum vivunt, ut volunt, et nullus est, qui corrigat et qui emendet. [13r] Et quod quandoque ipsi Capitulares admonuerunt ipsum Episcopum, sed ille promittit, et nihil facit.

Super 3º interrogatus, respondit se credere, quod occulte legat malos libellos, et scit eum interrogasse quandam librarium, an haberet domum privatam in qua habitaret, quia volebat ei dare quosdam libros ad ligandum, ne ab aliquo viderentur; et cum ille responderet se in domo Rev.di D.ni testis habitare, noluit dare libros, dicens: Vocabo te, quando erit necesse.

Super 4º capitulo interrogatus, respondit, quod primo anno Episcopatus sui Capitula aliarum Ecclesiarum miserunt Nuncios suos ad Synodum, qui ei in faciem dixerunt, quod D.nus Episcopus erat coniugatus, et postquam reversus est a Synodo, conquestus est nobiscum de nostris Nuntiis, quod non defenderant eum, quando hoc obiiciebatur ei, et quod volebat super his agere ratione iniuriarum. Et aliud certe nescit.

Super quinto articulo interrogatus, dixit se nihil scire.

Super 6º capitulo interrogatus, respondit ut supra in 2º articulo.

Super 7º articulo interrogatus, respondit ex rumoribus audivisse eum de haeresi esse infamatum, et quia semper vult disputare, et etiam saepius hoc in mensa facit, laicis praesentibus; qui quandoque dixit Synodum non esse liberam, nisi convenient ex omnibus Provinciis mundi, etiam Armeni, Graeci, Rutheni et Aethiopes, sed non possunt venire, quia comburuntur.

Super 8º capitulo interrogatus, dixit, quod non ita [13v] exemplariter vivit, ut deceret Episcopum; nec est ita frequens in Ecclesia Cathedrali, raro celebrat et rarissime audit divina, sicut qui non habeat Capellanum in domo sua; dicens interrogatus, reliquum istius capituli esse in omnibus verissimum, et quod Domini Capitulares saepius admonuerunt eum, ut corrigeret quosdam nobiles haereticos, qui passim haereses seminant et pauperes compellunt sub poenis a vera religione recedere, ipse tamen nihil facit, imo tolerat eos.

Super 9º articulo interrogatus, respondit articulum esse verum, et quod nunc dictus Fricius agit Volboriae, in oppido D.ni Episcopi, ubi habet advocationem.

Super Xº capitulo respondit capitulum verum esse.

Super XIº capitulo interrogatus, respondit verum esse de Paedagogo, quod fuerit missus cum nepotibus suis Vitembergam ad descendas litteras, ubi nunc sunt; cum quibus est etiam nepos eius, Decanus Volborensis. Interrogatus de familia, respondit se scire sicut supra dixit.

Super XIIº capitulo dixit fuisse D.num Episcopum Gedani, dixisse que Canonices suis Concionatores illos Gedanenses futuros bonos Catholicos et

sub obedientia Romanae Ecclesiae, et quod ita facere iurare eos compulit; et tamen palam eos esse haereticos scitur. Dixit etiam Episcopus quandoque, quod Gedanenses voluerunt dare munera ei, ut permitteret duos ex suis Concionatoribus praedicare; et quod ipse noluit; et tamen illi duo non solum praedicant, sed etiam omnes alii similes; nec ipse Episcopus habet Officialem ibi.

[14r] Super 13<sup>o</sup> et 14<sup>o</sup> capitulis interrogatus, respondit capitula in omnibus vera esse; et quod impignoravit duas claves bonorum Ecclesiae Vladislaviensis, ubi est Cathedra, et Rationensem cuidam nobili crudelissimo, qui excarnificat subditos<sup>153</sup>, et quod Rev.di Domini Capitulares admonuerunt eum, ne ista faceret<sup>154</sup>, et ipse respondit: Boni Fratres, habemus mensas distinctas, nihil habetis agere cum mea, nec ego cum vestra; sinite me facere quod volo de bonis meis, ego non impono angarias. Subdens se recordari habuisse Dominum Episcopum Advocatum quendam, nominatum Augustinum, virum bonum et satis divitem, a quo D.nus Episcopus abstulerat quosdam mansos unius praedii; et cum is conquereretur cum Capitulo et peteret administrari sibi iustitiam contra Episcopum, D.nus Episcopus, hoc audito, misit familiam suam, quae captivavit eum et incarceravit; et cum esset Episcopus in Comitiis, a fratre Episcopi fuit decollatus, ex quo uxor eius flens confugit ad Regem, petens iustitiam<sup>155</sup>.

Super articulo addito interrogatus, respondit verum esse de scholari vocato ad se et de verbis dictis Magistro Scholae; et quod statim dictus Magister accedit ad Dominum testem et ad alium Fratrem<sup>156</sup>, et dixit illis verba, quae dixerat Episcopus, et quod feria 3<sup>a</sup> Paschae post vesperas venit Episcopus in Capitulum et fecit vocare Magistrum Scholae, et conquestus est publice de eo dicendo: Tu male facis diffamans me et traducens, quod dixerim ea, quae non dixerim, nam ego sum bonus Episcopus et Catholicus, et teneor, et dixi in Sancta Eucharistia in illo signo esse verum, vivum et efficax Corpus

<sup>153</sup> Claves bonorum mensae episcopalnis Vladislaviae (Włocławek) et in Raciążek prope Ciechocinek, 30 km ad septentrionem Vladislavia distabant (cfr. *Inwentarz dóbr i dochodów biskupstwa włocławskiego z r. 1534* [Inventarium bonorum et reddituum episcopatus Vladislaviensis a. 1534], ed. Boleslaus Ulanowski, in: *Archivum Collegii Historici Academiae Litterarum Cracoviensis*, T. 10, Cracoviae 1916, p. 3-15 et 23-31). Ille "nobilis crudelissimus" in subsequentibus testimonii appellatus "capitanus", vocabatur "Debruksi" (cfr. depositionem Felicis Ossowski). Qui arendam utriusque "clavis" ad triennium obtinuisse fertur (vide depositionem magistri Alberti). Ex his conicere licet illum fuisse Andream Dąbrowski, vexilliferum Lanciciensem et capitaneum Vladislaviensem, de quo post mortem epi Drohojowski, in sessione capitulo Vladislaviensis, 1 VII 1557, administrator dioecesis, Felix Relski, questus est "pro rebus Ecclesiae et futuri Episcopi, per D.num Andream Dambrowski, Capitaneum Vladislaviensem, et eius servitios distractis" (ex libris sessionum capitulo, ed. Wierzbowski U, II, p. 382), qui etiam ipse litteris ad capitulo, 1 IV 1559 datis, restitutionem pecuniae, sibi, ut asserebat, "a subditis clavium Vladislaviensi et Raciążensi debitae" (Wierzbowski U, II, p. 436-437).

<sup>154</sup> Haec admonitio facta erat 2 I 1556, vide supra notam 124.

<sup>155</sup> Hic casus in actis capitulo non est descriptus. Certo non agitur de advocatio Volboriensi, quam Andreas Fricius a patre hereditaverat (cfr. supra notam 117). Quidam Augustinus tenebat non multo prius 3 mansos in bonis episcopalibus Stolzenbergensibus (v. *Inwentarz*, ut supra, p. 55).

<sup>156</sup> Scilicet ad Andream Duchnicki, vide eius depositionem.

[14v] Christi, sed tu non me intellexisti. Et ille respondit: Rev.me Domine, ego dixi, quod vere intellexi a Dominatione V.ra Rev.ma, et aliud non retuli.

Super ultimo, de publica voce et fama, dixit articulum verum.

Et quia ego Franciscus Varugola, Civis Veronensis, publicus apostolica atque imperiali auctoritate Notarius, dum omnia et singula praemissa sic agerentur et fierent, et Testium praedictorum examinationi interfui, eorumque depositiones fideliter descripsi et in notam sumpsi, ideo praesentem processum manu mea scripsi et subscriptione mea firmavi, signo mei Tabellionatus consueto apposito.

Locus + signi.

Et quoniam idem Rev.mus D.nus Nuntius apostolicus alias per prius eundem D.num Episcopum Vladislaviensem de quibusdam rebus ad eandem materiam pertinentibus per suas litteras admonuerat, ad quas ille etiam, se expurgans, resposum dederat, mandavit mihi, Notario praedicto, isdem Dominus Nuntius, ut exemplum dictarum suarum litterarum, una cum illius originaria responsione, in fine istius Processus appendices alligarem, prout etiam feci<sup>157</sup>.

Idem Franciscus Varugola, Notarius.

\*

Die 24 Aprilis 1556, in Arce Unioviensi, Diocesis Gnesnensis, constitutus Rev.dus D.nus **Nicolaus Sobieburski<sup>c)</sup>, Preapostitus Chodensis Ecclesiae Mansioniorum<sup>158</sup>, Diocesis Vladislaviensis, testis specialiter vocatus a Rev.mo D.no Nuntio apostolico, et delato ei primitus iuramento de veritate dicenda super his, de quibus fuerit interrogatus, ita se facturum respondit.**

Et primo super primo interrogatus, respondit [15r] se cognoscere Dominum Epum Vladislaviensem, quoniam est Episcopus suus, et quod cognoscebat etiam ante Episcopatum, sed nescit cuius conditionis et cuius vitae tunc temporis fuerit.

Super 2º interrogatus, qualiter fuerit assumptus ad Episcopatum Vladislaviensem, respondit nescire; et nunc non ita praestare officium suum, sicut deberet. Interrogatus, si resistit haereticis, an vero e contra illis favet, respondit: Est iam annus, quo fuit celebrata publica Synodus totius Episcopatus Vladislaviensis<sup>159</sup>, ad quam ipse etiam testis vocatus fuit, ubi Domini Capitulares Vladislavienses publice redarguerunt praedictum D.num Epi-

<sup>157</sup> Vide N. 90 et 91.

<sup>158</sup> Nicolaus Sobieburski, parochus in Chodecz, 30 km ad meridiem a Vladislavia distante.

<sup>159</sup> De hac synodo dioecesana, a. 1554 celebrata, nullum exstat monumentum, praeter mentionem in actis capitulo Vladislaviensis, vide *Statuta synodalia dioecesis Wladislaviensis et Pomeraniae*, collegit Zeno Chodyński, Varsaviae 1890, p. XXVIII.

scopum, quod negligens esset in haereticis persequendis et quod, cum habere Episcopatum magnum et amplum, nihil poenitus faceret, imo foveret eos et promoveret. Ipse e contra respondit se ulterius hoc non facturum, sed maxime persequuturum eos. Sed tamen in veritate nihil facit adhuc; et quod sit verum citavit quaendam nobilem, vocatum Sliesinski, haereticum publicum, in ius, et tamen postea dimisit eum liberum, et contra eum nihil fecit<sup>160</sup>. Interrogatus etiam, respondit se scire habere unum apud se de haeresi suspectum, cuius nomen ignorat. Interrogatus iterum, respondit se intellexisse de Simone de Proschovize, haeretico, et quod per aliquod tempus apud se fovit eum, et quod cum non posset apud se tenere eum, promovit apud D.num Palatinum Vilnensem.

Super 3<sup>o</sup> interrogatus, respondit se nihil scire.

Super 4<sup>o</sup> interrogatus, respondit se audivisse dici capitulum in omnibus verum esse.

[15v] Super 5<sup>o</sup> capitulo dixit se nihil scire.

Super 6<sup>o</sup> dixit se nihil scire, nisi tantum, quod habuerit Canonicatum Cracoviensem.

Super 7<sup>o</sup> interrogatus, an intellexerit dictum Episcopum alias fuisse infamatum de haeresi, respondit, quod sic, et quod ita habetur ab omnibus et a communi hominum opinione. In reliquis capituli huius dixit se nihil scire.

Super 8<sup>o</sup> capitulo interrogatus, dixit non in aliquo esse emendatum, sed potius in peius esse versum; et quod non habet bonum testimonium vitae sua, non manet circa Eccelsiam, connivet ad haereses, et non curat bonos mores subditorum; et cum de his omnibus argueretur a Capitulo suo in Synodo Episcopali, promisit se in posterum omnia effecturum, nihil tamen fecit. In reliquis omnibus capitulum verum esse dixit.

Super 90 interrogatus, respondit se cognovisse Fricium, cum esset cum Laski Apostata, sed nescit aliquid de eo.

Super X<sup>o</sup> interrogatus, respondit se audivisse, sed nihil pro certo scire.

Super XI<sup>o</sup> interrogatus, dixit se nihil scire.

Super XII<sup>o</sup> interrogatus, dixit se ignorare.

Super 13<sup>o</sup> interrogatus, respondit articulum in omnibus esse verum.

Super 14<sup>o</sup> dixit audivisse dici, capitulum esse verum.

Super 15<sup>o</sup> capitulo de publica voce et fama, dixit esse publicum et notoriū in toto Regno de omnibus his.

[16r] Super articulo additionali dixit se nihil scire, nisi hoc, quod ipse Dominus testis aliquando dixit eidem Episcopo: Rev.me Domine, ego doleo, quod laboratis magna infamia apud Clerum et apud Nobiles, quod male sentitis de fide, et quod non corrigitis haereticos; et quod ille respondit ei: Heus, tu ne credas istis, dicunt mendacia de me, ego sum bonus Christianus.

---

<sup>160</sup> De hoc Slesir̄ski alias nihil constat.

Super generalibus circa personam recte respondit. Et est aetatis anno-  
rum 44, nec est inimicus eius, imo vellet omne bonum illi.

Die 3<sup>a</sup> Maii 1556 Gnesnae, in Civitate Metropolitana utriusque Poloniae, in domo hospitii Rev.mi D.ni Nuntii apostolici, constitutus Rev.dus D.nus **Paulus Glo[go]vi[u]s, Archidiaconus Plocensis et Canonicus Posnaniensis**<sup>161</sup>, testis specialiter vocatus ab eodem Rev.mo D.no Nuntio apostolico, et delato ei primum iuramento de veritate dicenda super his, de quibus fuerit interrogatus, ita ad interrogata respondit:

Et primo super primo interrogatus, si cognoscit D.num Epum Vladislaviensem, respondit se cognovisse, etiam antequam esset Episcopus, eo quod ambo fuerunt sub uno Domino, videlicet sub Rev.mo olim Andrea Kricio Archiepiscopo<sup>162</sup>, et quod tunc eius vita erat laudabilis et honestissima, et quod fuit Craccoviae, et etiam in studiis Italiae, et dedit operam litteris, ut audivit, humanioribus, et litteras recepit ab eo et scripsit ad eum, dum esset ibi.

Super 2<sup>o</sup> interrogatus, quanto tempore sit Episcopus Vladislaviensis, respondit, quod possunt esse quinque vel sex anni. Interrogatus, quomodo fuerit [16v] promotus et quibus mediis, respondit se ignorare, sed tantum scit per Ser.mum Regem. Interrogatus, quomodo se gerebat in priori Episcopatu Chelmensi, respondit, quod satis bene, nisi quod fuerat ei obiectum in Synodo Lanciensis, quod ipse innovabat quaedam; ubi ille se defendendo respondebat<sup>163</sup>. Ideo natas esse istas suspiciones de eo, quia, quandocunque habet viros doctos apud se causa discendi, et non alias, solet proponere quaestiones istas istorum novatorum. Quoad Cathechismos interrogatus, respondit non intellexisse fuisse Cathechismos, sed quosdam sermones, quos ipse scripserat pro erudiendis populis per Parrochos lingua vulgari. Interrogatus, si scit eum habuisse domi Simonem de Proschovize, respondit, quod sic, et quod vidit eum habere concionem in Volburgia, et quod tunc non audivit eum dicentem aliqua haeretica; an autem eum promoverit apud Palatinum Vilnensem, ignorat. Interrogatus, si scit, quod nunc habeat aliquos viros suspectos in mensa, cum quibus loquatur de ipsis rebus, quae nunc controvrtuntur, respondit nihi scire pro certo, sed audivisse. Quoad aliquos de familia, qui sint suspecti, hoc audivit.

Super 3<sup>o</sup> interrogatus, respondit se ignorare.

Super 4<sup>o</sup> interrogatus, respondit se interfuisse Synodo; et quod scit articulum in omnibus esse verum; et quod fuit admonitus, ut combureret libros, quia ipse fatebatur habere quosdam libros, et promittebat a se eiicere.

<sup>161</sup> Paulus Głogowski (1502-1580), archidiaconus Plocensis ab a. 1541, legatus episcoporum Polonorum ad Concilium Tridentinum a. 1552, bonarum litterarum studiosus.

<sup>162</sup> Andreas Krzycki (1482-1537), eximus bonarum litterarum cultor et studiosus, fuit aepus Gnesnensis a. 1535-1537. Głogowski et Drohojowski aulici eius fuerunt a. 1529-1531, quando adhuc erat epus Plocensis (1527-1535), v. Halina Kowalska, *Głogowski Paweł*, PSB VIII, p. 113.

<sup>163</sup> Synodus provincialis Lanciensis a. 1547 celebrata est.

Super 5º capitulo interrogatus, dixit capitulum esse verum, sed quod Dominus Episcopus dicebat non semper recordari de aspersione aquae, quando ingreditur Ecclesiam.

[17r] Super 6º interrogatus, dixit se remittere ad illud, quod dixit in 2º; super caeteris articulis se ignorare, nisi quod tantum scit eum fuisse Canonicum Cracoviensem.

Super 7º capitulo interrogatus, respondit: Ex quibusdam suspicionibus colligitur a multis, quod fuerit infamatus haereseos. Super reliquis capitulis ignorat. Hoc tantum scit, quod ipse D.nus Episcopus scripserit ad Rev.mum D.num Cardinalem Puteum, quod haberet eum commendatum et defenderet honorem suum; et quod fuerat falso calumniatus a quibusdam adversariis; et quod ipse D.nus testis scripserat ad Rev.mum D.num Card. Pighinum litteras in eius commendationem, ut eum defenderet falso accusatum<sup>164</sup>.

Super 8º capitulo interrogatus, D.nus testis respondit iam annum esse, quod ipse interfuit Comitiis Petrocoviensibus, et ipse vidit eum bis solemnam missam celebrare coram Maiestate Regia, et quod omnia peregit christiane et catholico more, et ipse D.nus testis adfuit ei a libro. Tantum apprehendisse, quod in facienda confessione ante introitum Missae pronunciabat hoc modo: Confiteor Deo, Patri Omnipotenti, quia peccavi nimis etc. et nullum pronunciabat Sanctum; veritas tamen est, quod ita postea subiungebat: Ideo precor Beatam Mariam semper Virginem et omnes Sanctos etc. An visitet Ecclesiam suam, et omnia contenta in articulo, quod interrogentur Canonici sui, qui melius scient omnia ista quam ipse, qui est absens. Interrogatus, si connivet ad haereses et favet illis, respondit, quod credit, prout et aliqui ex Praelatis [17v] faciunt. Interrogatus, si plus sit occupatus circa saecularia negocia quam circa episcopale munus, respondit se credere esse verum.

Super 9º interrogatus, dixit articulum esse verum ex auditu, quia non interfuit, sed audivisse, quod in eodem curru vehebatur Fricius cum eo.

Super Xº interrogatus, dixit capitulum verum esse.

Super XIº capitulo interrogatus, respondit se ignorare, dicens: Potui fortasse ex fama aliquid audivisse.

Super XIIº dixit penitus se ignorare.

Super 13º capitulo respondit se nihil scire.

Super 14º respondit nihil scire.

Super XVº capitulo de fama interrogatus, dixit, quod per Regnum est fama publica.

Super capitulo additionali interrogatus, respondit se nihil scire.

Super generalibus circa personam in omnibus recte respondit. Et est aetatis quinquaginta annorum.

---

<sup>164</sup> Epistulae Ioannis Drohojowski ad card. Iacobum Puteo et Pauli Głogowski ad card. Sebastianum Pighino ad dies nostros servatae non sunt. Pertinebant ad accusationem de haeresi, quae occasione translationis ad sedem Vladislaviensem ei mota erat, cfr. N. 58.

Die eadem in eodem loco, constitutus ut supra Rev.dus D.nus **Martinus Gosliczki, Canonicus Plocensis**<sup>165</sup>, promotus in utroque iure et in artibus, testis, ut ante monitus, iuratus, et interrogatus de dicenda veritate super his, de quibus fuerit interrogatus, ita ad interrogata respondit:

Et primo super primo dixit se cognovisse D.num Epum Vladislaviensem, etiam antequam erat Episcopus, quando erat Canonicus Cracoviensis, a vinti citra vel [18r] ultra annis; et quod tunc temporis erat vir modestus et habebatur pro viro bono. Super caeteris articuli se ignorare respondit.

Super 2º capitulo interrogatus, respondit, quod fuit promotus tempore Papae Iulii tertii, quod possunt esse quinque vel sex anni. Interrogatus dixit fuisse ante Episcopum Chelmensem, quomodo autem se gesserit in eo ignorat. Super caeteris articuli ignorat. Bene dixit se cognovisse Simonem de Proschovize et quod simul cum eo ipse testis promotus est magister in artibus, et quod mores eius nunquam placuerunt ei. Dicens etiam interrogatus, quod Cancellarium<sup>166</sup> praedicti D.ni Episcopi habet pro suspecto. De fratre eius audivit a viris multis Nobilibus, quod est haereticus, et quod in feriis sextis et quadragesimalibus diebus et vigiliis comedit carnes, et quod habuit uxorem valde haereticam<sup>167</sup>, quae multum amabatur et fovebatur a D.no Episcopo.

Super 3º se nihil scire respondit.

Super 4º audivit articulum esse verum.

Super 5º respondit se ignorare.

Super 6º dixit se nihil scire, nisi quod ad Canonicatum Cracoviensem, quia audivit eum emisse Canonicatum a quodam Pilescu<sup>168</sup>, vel ab aliquo alio, pro summa in capitulo contenta.

Super 7º capitulo dixit se audivisse eum aliquando esse infamatum, sed quod fuerit vocatus a Sede Apostolica, non audivit.

Super 8º capitulo dixit se non esse familiarem eius, nec comedisse eius panem, sed audivisse [18v] et audire a multis articulum esse verum contra personam D.ni Episcopi, et quod est magis saecularis quam spiritualis.

Super 9º articulo dixit se cognovisse Fricium a multis annis; et quod habet eum pro haeretico; et quod fuit familiaris Ioannis Laski Apostatae. De reliquis articuli D.nus testis penitus ignorat.

Super Xº capitulo dixit se nihil scire, nisi quod audivit Rev.mum D.num Epum Varmiensem<sup>169</sup> dicentem Fricium conscripsisse librum contrarium fidei Catholicae.

Super XIº capitulo respondit se ignorare.

<sup>165</sup> Martinus Goślicki (1506-1570), IUD, canonicus Plocensis ab a. 1540.

<sup>166</sup> Id est Ioannem a Turobin.

<sup>167</sup> Agitur de prima uxore Stanislai Drohojowski Ursula (†1553), filia Caroli Gucci, aulici reginae Bonae, quae opiniones heterodoxas de religione publice proferebat (Kot DJ, p. 381).

<sup>168</sup> Stanislaus Pilecki, qui canonicatus Cracoviensi a. 1539 renuntiassse dicitur (Łętowski III, p. 453).

<sup>169</sup> Stanislaus Hosius.

Super XII<sup>o</sup> capitulo dixit se nihil scire.

Super XIII<sup>o</sup> capitulo dixit capitulum esse verum, quia audivit hoc a multis viris dignis; et quod est paene redactus eius Episcopatus in desolationem propter arrendatores, qui onera insupportabilia imporunt. De diebus festivis ignorat.

Super 14<sup>o</sup> articulo interrogatus, respondit, quod ipse audivit, dum celebraretur Synodus particularis in Ecclesia Vladislaviensi, dictum Episcopum in nullo voluisse acquiescere admonitionibus, adhortationibus et persuasibibus Capituli, immo aliquos obiurgasse etiam ex Parrocchis, et omnia facere voluisse, sicut esset Papa.

Super 15<sup>o</sup> de publica voce et fama dixit, quod super his articulis, de quibus ipse depositit, esse publicam vocem et famam.

Super capitulo additionali dicit se nihil penitus scire.

Circa personam in omnibus recte respondit. [19r] Et est aetatis annorum quinquaginta, nec est inimicus, immo amicus, et habet D.num Episcopum in Principem.

Die 13 Maii 1556, in Civitate Vladislaviensi, in domo Rev.di D.ni Stanislai Dambroschi [sic] Vladislaviensis et Cancellarii Rev.mi D.ni Archiepiscopi Gnesnensis, in qua Rev.mus D.nus Nuntius apostolicus de praesente hospitatus est, constitutus Rev.dus D.nus **Albertus, Magister Scholae Scholarium** Vladislaviensis Ecclesiae, et delato ei iuramento in forma de veritate dicenda super omnibus, de quibus fuerit interrogatus, iuramento suo ad interrogata respondendo dixit:

Et primo super primo interrogatus, respondit se cognovisse D.num Episcopum Vladislaviensem a tribus armis citra, in quibus fungitur officio Magistri Scholae, et ante.

Super 2<sup>o</sup> interrogatus, dixit se nihil scire propter supradictam causam. De praesente autem, quod habeat familiam suspectam de fide, ipse D.nus testis nescit, sed tantum audivit.

Super 3<sup>o</sup> capitulo dixit se nihil scire.

Super 4<sup>o</sup> capitulo respondit se ignorare.

Super 5<sup>o</sup> articulo dixit se nihil scire.

Super 6<sup>o</sup> capitulo dixit nihil scire, nisi prout dixit in 2<sup>o</sup>.

Super 7<sup>o</sup> nihil penitus scire respondit

Super 8<sup>o</sup> capitulo interrogatus, dixit, quod quandoque manet circa Ecclesiam suam et fungitur officio episcopali, sed quoad haereticos videtur eis connovere, quia habet eos pree oculis et nullam provisionem [19v] facit, immo ipse D.nus Episcopus locavit hic omnia bona suaee Ecclesiae huic Capitaneo, qui est publicus haereticus<sup>170</sup>, per triennium usufructuanda, in magnum scandalum totius Cleri et Civitatis istius et Catholicorum Nobilium huius Regni. Circa reliqua articuli ignorat.

---

<sup>170</sup> Andreas Dąbrowski, vide supra.

Super 9<sup>o</sup> et X<sup>o</sup> interrogatus, si cognoscit Andream Fricium, respondit quod sic, et quod habetur pro haeretico, et quod scripsit sicut in articulo; et etiam audivit eum conductum fuisse ab ipso D.no Episcopo in Germaniam, conducendo Ill.mam Dominam Reginulam ad Ill.mum D.num Ducem Bran-svicensem.

Super XI<sup>o</sup> capitulo dixit, quod veritas est, quod Dominus Episcopus misit quandam Paedagogum, de haeresi maxime suspectum, cum nepotibus suis ad studia Germanica.

Super XII<sup>o</sup> interrogatus, dixit se scire [19v] D.num Episcopum fuisse Gedani, sed quid ibi egerit, ignorat.

Super 13<sup>o</sup> capitulo dixit, quod nihil scit.

Super 14<sup>o</sup> articulo respondit se ignorare.

Super articulo additionali interrogatus, respondit verum fuisse, quod in feria quinta in Caena Domini, cum ipse testis docuisset scholares suos ea, quae tradit Sancta Mater Ecclesia de Sanctissima Eucharistia, et accederent scholares ad Communionem, D.nus Episcopus vocavit unum ex pueris et dixit ei: Heus tu, bone puer, vadis ad Sacram Sinaxim? Respondisseque illum: Vado, Rev.me Domine. Dixit illi Episcopus: Et quid te credis [20r] sumere in sacra Eucharistia? Et quis est usus eius? Respondit puer: Firmiter credo, quod sub illa panis specie, quae a Sacerdote mihi porrigitur, accedentibus consecrationis verbis, a Sacerdote prolatis, verum Corpus Christi, quod ex Maria Virgine natum, quod Crucifixum, mortuum atque sepultum est, quodque etiam nunc ad dexteram Dei Patris residet in Coelo, continetur; credoque quod, si digne sumpsero, Deus mihi dabit gratiam suam et remissionem peccatorum meorum. Et tunc respondisse D.num Episcopum, adstante ipso teste, et dixisse: Credere, o puer, debes, signum esse meriti passionis Christi. Et de aliis verbis, quae per eum dicta fuerint, non recordatur. Interrogatus, si postea conquestus est cum duobus Canonicis, videlicet D.no Stanislao Stemposchi et D.no Matthia Wargaski<sup>171</sup>, respondit se non fuisse conquestum de D.no Episcopo, sed retulisse ea, quae audivisset ex ore ipsius D.ni Episcopi, interrogantibus illis. Et quod veritas est, quod feria 3<sup>a</sup> Paschae post Missam, in Capitulo, coram Canonicis, D.nus Episcopus expurgavit se dicendo, quod ipse tenebat vivum, verum, et efficax Corpus Christi contineri in Sacratissima Eucharistia. Et versus erga testem dixit: Tu male fecisti male interpretando verba mea, primum enim eram interrogandus, an ita sentirem. Et ipse D.nus testis respondit: Rev.me Domine, ego non sum interpretatus verba vestra, sed ea tantum retuli, quae audivi ex ore vestro; et tunc dixisse Episcopum: Abi iam et cave, ne ulterius ea dicas, quae nunquam dixi.

His peractis, cum testis bis admoneretur a Rev.mo [20v] D.no Nuntio praedicto sub his verbis: Frater Charissime, adverte, quod aliter hoc factum retulerunt illi, cum quibus tunc temporis tu loquutus fuisti, quia dixerunt te

<sup>171</sup> Prius mentio erat de Stempowski et Duchnicki (vide depositionem eiusdem Duchnicki). De Wargawski vide testimonium eiusdem (p. 398).

conquestum esse cum maxima admiratione de Domino Episcopo, quod ipse teneret in sacra Eucharistia non esse nisi signum tantum Corporis Christi, et nil amplius, et ideo dicebas, quod de ea male sentiebat. Nam quae erat causa, quod tu admirareris de illis verbis, quod teneret sacram Eucharistiam esse signum, cum non posset esse sacramentum, nisi esset signum sacrae rei in eo contentae? Et cur ipse convocasset Capitulum et se expurgasset coram eo, et dixisse se esse verum Christianum, et tenere ibi esse verum et vivum Corpus Christi et te male interpretari verba eius, si nulla alia verba dixerat praeter illa? Nonne omnia ista fuerunt superflua, cum verba illa vera sint et bonum sensum habeant, si tantum ad visibilia et externa elementa spectes? Ad quae testis respondit: Verum, sed non possum reminisci de aliis verbis, dicens: Rev.me Praesul, haec iam sopita sunt et nullus est, qui iam quaerat de illis, etsi D.nus Episcopus sciret, quod ego ista dixissem, me persequeretur et odio haberet. Et tunc Rev.mus D.nus Nuncius dixit ei: Ne dubites dicere veritatem, prout iacet, quia omnia sunt futura secreta et solam Sanctitatem suam ea sciturum, et bene prospicias, ne, dum volueris salvare D.num Episcopum, tu perdas animam tuam incurriendo perierum, quia aliter aperte dixeras D.num Episcopum dixisse [21r] puero: Credas ibi esse signum meriti Passionis Christi et nil amplius, et propterea suscitati sunt ruores isti propter relationem tuam. Ad quae de novo testis respondit, non posse se aliter recordari. Et sic voluit abire, prout et recessit.

Die 14 Maii 1556, in eodem loco, constitutus Rev.dus D.nus **Petrus Piotkoski, Canonicus Vladislaviensis**<sup>172</sup>, testis, ut ante assumptus, monitus, iuratus et interrogatus, iuramento suo ad interrogata respondit.

Et primo super primo interrogatus, dixit se cognovisse D.num Episcopum Vladislaviensem a tempore, quo venit ad sponsam suam, quod possunt esse circa tres vel quatuor anni, et non ante.

Super 2º interrogatus, quibus mediis fuerit assumptus ad hunc Episcopatum, respondit nescire. Interrogatus de Simone [de] Proschovize, respondit se cognovisse eum, et quod concionatus est semel in ista Ecclesia in festo Nativitatis Domini, et recte iudicio suo; et aliud de hoc nescit. Interrogatus, an D.nus Episcopus habeat familiam suspectam de haeresi, et reliqua, prout in capitulo, respondit se pro certo nescire, quia non conversatur in curia ipsius Episcopi, sed tamen audivisse de his multa.

Super 3º articulo respondit nescire.

Super 4º capitulo interrogatus, dixit se ignorare.

Super 5º dixit se nescire.

Super 6º respondit ignorare.

Super 7º iterum dixit se nihil scire.

---

<sup>172</sup> Petrus Piotrkowski (1484-1561), canonicus Vladislaviensis saltem ab a. 1531.

Super 8º capitulo interrogatus, dixit, quod non frequens est D.nus Episcopus circa Ecclesiam suam, [21v] immo ad haereses connivet. Et interrogatus circa reliqua capituli, respondit D.num Episcopum esse bonum Oeconomum, et fortasse nimis bonum, cum magis curet terrena, quam spiritualia; et quod audivit ipsum D.num Episcopum arrendasse istam clavem Vladislaviensem et aliam de Rachiof<sup>173</sup> huic Capitaneo, qui est magnus Tyrannus in subditos.

Super 9º capitulo interrogatus, dixit, quod recordatur se semel vidisse Andream Fricium circa mensam D.ni Episcopi, de cuius tamen conditione nihil scit. Ignorat etiam, an illum secum duxerit nunc Episcopus in Germaniam.

Super Xº articulo dixit se nihil scire.

Super XIº capitulo respondit se nihil scire.

Super XIIº articulo interrogatus, dixit se non recordari.

Super 13º capitulo interrogatus, respondit se audivisse, quod isti subditi saepe conqueruntur de Capitaneis, quod nimis angariant eos et imponant eis onera gravia et inconsueta.

Super 14º articulo interrogatus, dixit totum articulum verum; et quod ultimo loco his proximis praeteritis diebus D.nus Episcopus elegit duos ex Capitulo, videlicet D.num Decanum et D.num Officialem eius<sup>174</sup>, ut intendere-[n]t istis vexationibus et querelis, et viderent si vera sint ista, quae profertur.

Super capitulo additionali interrogatus, respondit se non fuisse praesentem tunc temporis, quando D.nus Episcopus locutus est cum illo scholari, sed scit, quod postea in Paschalibus D.nus Episcopus in Capitulo vocavit Magistrum Scholae et conquestus est de ipso, quod traduceret eum et male interpretaretur dicta sua dicendo, quod ipse teneret in sanctissima [22r] Eucharistia [non] esse, nisi signum tantum, et non verum Corpus Christi, cum tamen ipse diceret se verum esse Episcopum Christianum et tenere in Sacramento esse verum, vivum et efficax Corpus Christi, sicut credit Sancta Mater Ecclesia; et e contra Magister respondebat ei honeste dicens: Nolo, Rev.me Domine, interpretari verba vestra.

Super generalibus de publica voce et fama, dixit se non posse intelligere quid de eo dicatur, quia intendit negotiis suis; verum tamen, quod aliqui dicunt eum esse bonum, aliqui malum.

Circa personam in omnibus recte respondit. Et est aetatis annorum 72.

Die eodem in eodem loco, cum ad visitationem Rev.mi D.ni Nuntii venisset Rev.dus D.nus **Stanislaus Stemposchi, Canonicus Vladislaviensis**, qui alias Lovitii examinatus fuerat, ab eo idem Rev.mus D.nus Nuntius perquisivit, num vera essent, quae ille alias de Magistro Scholae deposuerat, quod illa verba habuisset cum D.no Episcopo. Qui respondit, quod erant ve-

<sup>173</sup> Raciąż (hodie Raciążek). De capitaneo Dąbrowski cfr. supra.

<sup>174</sup> Iacobus Paczyński et Nicodemus Pczeliński.

rissima, immo et hoc superaddidit, quod in die sancto Parasceves immediate sequenti ipse Magister Scholae obviavit ipsi D.no Canonico et dixit ei: Oportet, quod Rev.mus D.nus Nuntius apostolicus sciret D.num Episcopum nostrum non credere in sacra Eucharistia contineri verum Corpus Christi.

Item interrogatus praedictus D.nus Canonicus, nunquid postquam recessit a praedicto D.no Nuntio aliquid novi occurrit in hac Ecclesia, respondit, quod proxime lapsis diebus, cum esset D.nus Episcopus reversus ex Gedano in Chalendis [sic] Maii, Missam celebravit pontificaliter in Ecclesia, et [22v] postea, cum vellet proficisci Volborium, misit Nuntium suum ad quendam Nobilem haereticum in quoddam oppidum, distans ab hoc loco tribus milibus, qui alias erat inimicus eius, nunc autem factus est eius amicus, et sic cum eo fuit in prandio, et post prandium, cum omnes adstantes emisisset, in secreto per tres horas ambo loquuti sunt, cum magno scandalo omnium bonorum, qui hoc sciverunt. Et hoc dixit se pro certo scire ex relatione multorum, quia ipse non fuit praesens.

Die XV Maii 1556, in eodem loco, coram Rev.mo D.no Nuntio apostolico comparuit Rev.dus D.nus **Nicolaus Sobieburschi, Praepositus Chodensis Ecclesiae Mansionariorum**, Dioecesis Vladislaviensis, alias Ugne[ο]viae examinatus sub die 24 Aprilis proxime praeteriti, et dixit Rev.mae Dominationi suae, qualiter post examen suum praefatum ipse venit Vladislaviam, ubi convenit D.num Episcopum Vladislaviensem et humiliiter requisivit Dominationem suam, ut vellet sibi restituere decimas Ecclesiae suae, quae Mansionariis suis debentur, et quae iam ante per Antecessorem suum Episcopum ablatae fuerant, et pari modo per Ministros Suae Dominationis occupabantur. Quo auditio, ipse D.nus Episcopus benigne ei in Capitulo illas restituit, mandans, ut in libro Canonicorum ista restitutio describeretur; addens ipse se pro certo tenere huiusmodi restitutionem factam esse propter personam ipsius Rev.mi D.ni Nuntii praedicti, quae si non fuisset in hoc Regno, fortasse nunquam facta fuisset.

Insuper addidit, quod cum esset hic ipse D.nus Nicolaus cum aliquot Nobilibus, Patronis Ecclesiae suae, [23r] pro petitione restitutionis huiusmodi, et illi dicerent Episcopo: Rev.me Domine, sunt multa festa in aestate, quae impediunt Agricolas nostros, ne laborent in agris, ipse D.nus Episcopus respondit: Exceptis festis Apostolorum et Beatae Virginis, non opus est celebrare festa Martyrum, nec Virginum. Cui dicto statim ipse D.nus Nicolaus occurrit, dicens: O Rev.me Domine, servetur antiqua consuetudo Ecclesiae et nihil immutetur. Qui respondit ei: Oportet alleviare istos pauperes Rusticos, ut possint laborare in agris suis.

Eodem etiam tempore dixit ei D.nus Episcopus: Tu solus sufficeres huic tuae Ecclesiae et non essent necessarii tot operarii. Cui ipse D.nus Nicolaus respondit: Rev.me Domine, sunt necessarii multi, quia cum ministrantur Ecclesiastica Sacraenta populo, instruimus eum de veritate, utilitate, neces-

sitate et fructu ac praeparatione dictorum Sacramentorum, et ideo unus non sufficio. Cui respondit Episcopus: Opus esset, ut hi Cathechismi docerentur in scholis et Sacerdotes occuparentur circa praedicationem et non circa hos Cathechismos et circa Cantum Ecclesiasticum.

Et quia in hoc Regno non est moris, ut ova in sextis feriis ob reverentiam Passionis Christi comedantur, cum in tali die isti Nobiles mei et ego essemus invitati ad mensam Dni Episcopi, fuerunt allata ova decocta, quae tamen ipsi Nobiles et ego comedere renuimus. Quod videns Dnus Episcopus dixit: Comedite vos de piscibus, et ego comedam ova, quia pisces officiunt complexione meae. Et nihilominus et [23v] et pisces et ova ipse Dnus Episcopus comedit.

Ad ultimum subdidit ipse Dnus Nicolaus, quod multi ex subditis huius Ecclesiae Vladislaviensis dicunt: Habuimus alias malum Episcopum, qui postea translatus est ad Ecclesiam Cracoviensem, et adhuc vivit<sup>175</sup>, deinde, quando sperabamus habere meliorem Episcopum, habuimus illo longe detriorem modernum, qui de praesenti vivit; quod, si iste moreretur vel alio transferretur, expectamus Diabolum, qui nobis imperet et animas nostras curet.

Quae omnia idem Rev.dus Dnus Nicolaus confirmavit medio iuramento per ipsum Rev.mum D.num Nuntium ei delato.

Die eadem in loco praedicto, constitutus Rev.dus Dnus **Felix Ossowski**<sup>176</sup>, **Concionator Ecclesiae Vladislaviensis**, testis, ut ante assumptus, monitus, iuratus et interrogatus, iuramento suo respondit.

Et primo super primo interrogatus, dixit se cognovisse D.num Episcopum Vladislaviensem a tempore, quo fuit adsumptus ad istam sedem episcopalem, et non ante.

Super 2º capitulo interrogatus, an cognoverit Simonem de Proschovize, familiarem Dni Episcopi, respondit, quod sic, et quod audivit eius concionem, iudicio suo recte praedicatam; de cuius vita ei non constat; et quod nunc agit Vilnae cum Palatino Vilensi; quis autem promoverit eum apud ipsum Palatinum, nescit. Interrogatus autem de familia Dni Episcopi, dixit [24r] eum habere secum familiam omnino suspectam de haeresi, cuiusmodi est Cancellarius, Merescallus, Jatoroski vocatus, qui est maxime ei intimus, necnon frater ipsius Episcopi et fere omnes de domo. Qui semper haeretice vivunt et loquuntur palam et publice.

Super 3º dixit se nihil scire.

Super 4º et 5º respondit se nihil scire.

Super 6º interrogatus dixit se nihil scire.

Super 7º respondit se nihil scire.

---

<sup>175</sup> Andreas Zebrzydowski, qui fuit episcopus Vladislaviensis annis 1546-1551.

<sup>176</sup> Ossowski?

Super 8º capitulo interrogatus dixit, quod quandoque venit ad Ecclesiam suam, et tunc et celebrat et praedicat, et recte quidem, sed apud eam ordinarie non habitat. Sanctum Chrisma conficit, ordines etiam paratus erat conferre, modo adessent, qui ordinarentur. Quoad haereses et scandala istorum novatorum dixit, quod certe silet et movet quidem materias, sed nihil facit. Super caeteris vero articuli, veluti si plus occupatur circa saecularia negotia quam spiritualia, et reliqua, dixit articulum verum, et utinam ita non esset.

Super 9º capitulo dixit non cognoscere ex facie Andream Fricium, sed sci-re, quod circa bis fuerit in mensa cum D.no Episcopo. An secum sit profectus in Germaniam, ignorat.

Super Xº interrogatus, dixit ignorare.

Super XIº et XIIº nihil scit.

Super XIIIº capitulo dixit articulum verum, quia subditi valde opprimuntur, nam et omnia bona, quae hic habet, arrendavit huic Capitaneo, qui appellatur Debruksi<sup>177</sup>, et est eius farinae haereseos et valde crudelis [24v] in subditos.

Super 14º articulo ignorat.

Super articulo additionali interrogatus, respondit ex fama audivisse articulum verum, et D.num Episcopum se expurgasse in Capitulo Canonico-rum.

Super generalibus de publica voce et fama, dixit laborare apud omnes de suspicione, quod foveat haereticis.

Circa personam recte respondit in omnibus. Et est aetatis annorum sexaginta.

Constitutus Rev.dus D.nus **Ioannes Oruuof<sup>178</sup>, Vicedecanus Ecclesiae Vladislaviensis**, testis ut ante assumptus, monitus, iuratus et interrogatus, iuramento suo testificando respondit.

Et primo super primo interrogatus, dixit se nosse D.num Episcopum a tempore, quo habuit istam Ecclesiam, quod possunt esse quatuor vel quinque anni, et non ante.

Super 2º capitulo respondit se cognovisse Simonem de Proschovize et audivisse aliquas conciones eius in Nativitate Domini, quae ei non multum placabant, tamen, ut ipse credit, christiane praedicabat; qui postea a D.no Episcopo dimissus fuit, ut ipse coniecturat, ex mandato Rev.mi Domini Archiepiscopi, et nunc est apud Palatinum Vilnensem, et, ut credit, apud eum agit haereticum. Interrogatus de familia eius, dixit verum esse eum habere familiam de haeresi suspectam, quia idem testis per aliquot vices interfuit circa mensam eius et audivit propriis auribus multa dici contra Catholicam fidem; ad quae partim D.nus Episcopus annuebat, partim [25r] tacebat et partim refutabat. Et dixit etiam, quod hoc anno, in festo Paschatis, dum ipse te-

<sup>177</sup> Andreas Dąbrowski, v. supra.

<sup>178</sup> Ioannes Orlowski?

stis ex officio suo communicaret totum populum, nullum vidit de tota familia Episcopi, uno excepto, sumpsisse Sanctissimam Eucharistiam.

Super 3<sup>o</sup>, 4<sup>o</sup> et 5<sup>o</sup> capitulis respondit nescire.

Super 6<sup>o</sup> capitulo dixit se ignorare, quomodo promotus fuerit ad Ecclesiam istam, audavit tamen aliquando dici, quod per pecuniarum largitates.

Super 7<sup>o</sup> dixit nihil scire.

Super 8<sup>o</sup> articulo respondit in omnibus esse articulum verum contra personam D.ni Episcopi.

Super 9<sup>o</sup> capitulo dixit se non cognoscere Fricium, audivisse tamen esse amicum D.ni Episcopi et saepe cum eo comedere, et etiam conductum fuisse ab ipso D.no Episcopo in Germaniam, et in reversione huc cum eo venisse; subdens audivisse etiam eum Episcopum non habuisse secum aliquem Capellanum in illo itinere.

Super X<sup>o</sup> articulo ignorat.

Super XI<sup>o</sup> capitulo dixit se nihil scire.

Super XII<sup>o</sup> articulo respondit audivisse eum fuisse Gedani anno praeterito et etiam his diebus proxime praeteritis, sed quid ibi fecerit, ignorat.

Super 13<sup>o</sup> capitulo interrogatus, dixit articulum verissimum, et quod non tantum ipse spoliat, sed etiam spoliari facit per ministros, et verum esse, quod arrendavit omnia bona sua Ecclesiae, quae hic habet, cum iurisdictione, huic Capitaneo, qui est magnus Tyrannus in subditos, ex quo etiam iste locus ita depauperatur, ut desint necessaria[25v]ria ad victimum pro Clericis et aliis servientibus Ecclesiae.

Super 14<sup>o</sup> capitulo respondit articulum verum esse, et quod promittit Capitulo omnibus providere, et nihil facit.

Super articulo additionali interrogatus, dixit audivisse ex relatione aliorum articulum verum, et quod D.nus Episcopus expurgavit se cum Capitulo, vocato Magistro Scholae.

Super generalibus de publica voce et fama dixit, quod fere nihil boni sentitur et creditur de eo a toto populo, cum tamen, quando est in Ecclesia, maneat devote.

Circa personam recte respondit in omnibus. Et est aetatis annorum sexaginta.

Constitutus Rev.dus D.nus **Florianus de Oppido Gniefkow**<sup>179</sup>, Vicecustos Ecclesiae Vladislaviensis, testis, ut ante assumptus, monitus, iuratus et interrogatus, iuramento suo testificando respondit.

Et primo super primo interrogatus, dixit se cognoscere D.num Episcopum modernum Vladislaviensem a die, quo obtinuit istam Ecclesiam, quod possunt esse circa quinque anni; et de vita eius anteriori nihil scit.

Super 2<sup>o</sup> capitulo interrogatus, si novit Simonem de Proschovize, olim familiarem D.ni Episcopi Vladislaviensis, respondit, quod sic, et quod audavit

<sup>179</sup> Florianus de Gniewkowo, oppido prope Iunivladislaviam (Inowrocław) sito.

eum bis praedicantem in Ecclesia ista in Nativitate Domini, in galli cantu et summa missa; et iudicio suo recte praedicavit, tamen non recordatur eum fecisse ante concionem salutationem Beatae Mariae Virginis; audivit [26r] etiam eum esse nunc apud Palatinum Vilnensem, qui dicitur esse haereticus. Dixit etiam audivisse hunc eundem Simonem fuisse pulsum a Rev.do D.no Ioanne Giadoski, Epo Praemiliensi<sup>180</sup>, propter haereseos infamacionem. Interrogatus, si D.nus Episcopus habet familiam suspectam de haeresi, respondit, quod ipse non conversatur cum D.no Episcopo, nec cum eius familia, sed bene audivit eum habere familiam suspectam et in mensa semper fieri disputationes de fide, et dici, quod feria quarta comedunt carnes, et in feriis sextis et butyrum et ova, quae in hoc Regno maximum pariunt scandalum.

Super 3<sup>o</sup>, 4<sup>o</sup> et 5<sup>o</sup> respondit se nihil scire.

Super 6<sup>o</sup> interrogatus, dixit se nihil scire.

Super 7<sup>o</sup> dixit iterum se nihil scire.

Super 8<sup>o</sup> capitulo interrogatus dixit, quod quando D.nus Episcopus est in Ecclesia, manet satis devote; et quod Ecclesiam suam bis vel ter in anno visitat, sed non continuo in ea moratur. Interrogatus, si fovet haereses et si connivet ad scandala, dixit nescire, non intellexisse tamen, neque vidisse aliquem condemnatum. De fine articuli auditur esse verus.

Super 9<sup>o</sup> et X<sup>o</sup> respondit se nihil scire.

Super XI<sup>o</sup> interrogatus, dixit se nihil scire.

Super XII<sup>o</sup> respondit D.num Episcopum fuisse Gedani anno praeterito et etiam diebus praeteritis, sed quid ibi egerit, ignorat.

Super 13<sup>o</sup> articulo dixit intellexisse subditos Ecclesiae conqueri de maximis oppressionibus factis per ministros D.ni Episcopi. De diebus autem festis non audivit. Item dici audivit, quod arrendavit omnia bona, quae hic habet, cum iurisdictione, huic Capitaneo, [26v] de quo pauperes multum conqueruntur; et quod nunc est magna penuria victualium in hoc loco.

Super 14<sup>o</sup> capitulo interrogatus, dixit se nihil scire.

Super capitulo additionali interrogatus, dixit audivisse ab aliis, quod D.nus Episcopus dixerat de signo tantum Corporis Christi in Sacramento Eucharistiae, et quod rumor iste pervasit apud nonnullos de Ecclesia. De expurgatione autem facta in Capitulo nihil scit.

Super generalibus de publica voce et fama respondit, quod diversi diversa sentiunt: aliqui dicunt esse malum, aliqui e contrario.

Circa personam in omnibus recte respondit. Et est aetatis annorum ultra quinquaginta, et servivit huic Ecclesiae per spatium viginti trium annorum, quae alias fuit plena virtute et sanctitate.

---

<sup>180</sup> Ioannes Dziaduski, epus Premisiensis. De mansione Simonis in dioecesi Premisiensi nihil nobis constat, quae tamen omnino negari non potest, nam vitae eius scriptores ignorant, quo in loco a. 1539-1549 commoratus sit (Budka, p. 189).

Die eadem, vesperi, in eodem loco venit ad visitationem Rev.mi Domini Nuntii apostolici Rev.dus D.nus **Matthias Wargaski, Canonicus Vladislaviensis**<sup>181</sup>, aetatis, ut ipse dixit, annorum sexaginta. Et cum de variis rebus, me Francisco Varugola Notario praesente, prius inter se sermonem habuisserunt, postea ceperunt loqui de Rev.do D.no Io[anne], Episcopo Vladislaviensi moderno, et interrogavit eum ipse Rev.mus D.nus Nuntius sub his verbis: Rev.de Domine, quae est vita ipsius vestri Episcopi, quae professio eius? Audio enim multa male dici de eo. Vos quid sentitis de persona? Qui statim respondit: O Rev.me Praesul, male nobis agitur cum isto [27r] viro: non vivit christiane, non pascit oves suas, non residet in sua Ecclesia, huc et illuc vagatur et nihil minus curat quam Episcopale Officium, est magnus pauperum oppressor et subditos Ecclesiae, tum per se, tum per ministros suos, intollerabilibus exactionibus afflit; et inter caetera arrendavit bona, quae hic habet, huic Capitaneo, qui est haereticus et huius populi Tyrannus. Iste Episcopus habet etiam familiam fere totam haereticam, et semper cum talibus hominibus conversatur; nichil [sic] facit contra haereticos et modernos novatores, cum tota haec Diocesis illis abundet; connivet, tacet et demum potius faciat illis, quam sit eorum hostis. Credat mihi Dominatio V.ra Rev.ma, quod nunquam habet in mensa sua pauperes, nec vidi apud eum Capellanum, qui ei missam celebret, aut qui eum horis recitandis adiuvet; nullum etiam virum doctum et in sacris litteris eruditum secum habuit, nec habet. Nos in Capitulo, et ego praecipue, admonuimus eum saepe de omnibus istis, sed surdo canimus fabulam, quandoque enim irascitur nobiscum et dicit nos non esse eius superiores et non posse eum corrigere; quandoque fingit libenter audire et promittit maria et montes, sed nihil postea praestat.

Et quia D.nus Albertus Magister Scholae in sua testificatione dixerat hunc Canonicum vidisse illum loquentem cum Episcopo in Caena Domini, quando altercabatur cum scholari, idem Rev.mus D.nus Nuntius interrogavit eum: D.ne Matthia, estne veritas, quod D.nus Episcopus in die Caenae Domini reprehendit Magistrum Scholae, quod male docebat pueros, nam debebat docere, quod in sacramento Eucharistiae esset signum tantum [27v] Corporis Christi, non autem ipsum Corpus? Qui respondit: Ego non audivi verba, sed vidi Episcopum, Magistrum et puerum colloquentes; sed postea cum eodem die dictus Magister Scholae apud me pranderet, retulit mihi pro certo D.num Episcopum illamet verba dixisse; quod cum postea in vulgus deferretur, ego inter caeteros adivi<sup>d)</sup> praefatum D.num Episcopum et dixi, quod haec et haec de eo ferebantur; quibus ille permotus, tertia feria Paschae venit in Capitulum et, vocato Magistro Scholae, reprehendit eum, quod traducebat personam suam dicendo, quod male sentiret de Sacramento Altaris, cum ipse, ut aiebat, esset bonus Christianus et teneret verum et vivum esse sub Eucharistia Christi Corpus, e contra vero Magister Scholae audacter ei re-

---

<sup>181</sup> Matthias Wargawski († 1559), canonicus Vladislaviensis ab a. 1547, homo factiosus.

sistebat, dicens: Profecto Rev.ma Dominatio V.ra ita dixit, et ita pure retuli, et nihil de meo adiunxi.

Quibus finitis, praedictus D.nus Canonicus petiit licentiam a Rev.mo Domino Nuntio et in pace recessit. Et ipse Rev.mus D.nus Nuntius mandavit mihi, Notario antedicto, ut totum hoc colloquium huic Processui ad litteram insererem, praesertim cum iste Canonicus habeatur ab omnibus pro viro bono et Deum timente, ut eius etiam venerabilis aspectus praeseferre videbatur.

Et quia ego Franciscus Varugola, Civis Veronensis, publicus apostolica et imperiali auctoritate Notarius, dum omnia et singula praemissa sic age-rentur et fierent, et testium praedictorum examini interfui, eorumque deposiciones fideliter descripsi et in notam [28r] sumpsi, ideo praesentem Processum residuum anterioris Romam transmissi, manu mea scripsi et subscrip-tione mea firmavi, signo mei Tabellionatus consueto apposito.

Locus signi<sup>182</sup>.

a) In ms. hic et infra, ubi occurrit nomen epi-Drohojowski: Jacobum (vide Introductio-nem).

b) In ms. Cracoviensi additum: (in Diocesi Plocensi)

c) In ms.: Iobuburstei

d) In ms. : audivi

## A. 19.

### **Processus**

**contra Andream Zebrzydowski, epum Cracoviensem  
per Aloisium Lippomano confectus**

Lovicii et Unieioviae, 14 III - 24 IV 1556.

*Acta notaria, a Francisco Varugola conscripta, processus, quem Lippo-manus, iussu Pauli IV pontificis maximi, contra Andream Zebrzydowski, epum Cracoviensem, Lovicci 14 III - 11 IV et Unieioviae 24 IV 1556 peregerat, quae*

<sup>182</sup> In actis processualibus sequuntur exempla litterarum Ioannis Drohojowski ad Lippomanum 12 V 1556 datarum et responsi nuntii 14 V dati (vide N. 90 et 91), quibus praemissa est adnotatio Francisci Varugola, ut sequitur: "Quoniam vero, cum praedictus Rev.mus D.nus Nuntius esset Vladislaviae, die se-quenti post eius illuc adventum litteras quasdam accepit ab eodem Rev.do D.no I[obanne] Episcopo, con-querentes de eo, quod ad dictam suam Ecclesiam absque eo quod eum prius admonuisset, ivisset, man-davit praedictus Rev.mus D.nus Nuntius mihi Franciso, Notario antedicto, ut litteras easdem origina-rias, una cum exemplo aliarum litterarum dicti Rev.mi D.ni Nuntii, ad eundem Rev.dum D.num Episco-pum responsalium, in fine huius Processus adiungerem atque adneceterem, prout etiam feci, quae imme-diatae infra subsequuntur".

*continent transumptum brevis pontificii 23 XII 1555 dati, interrogaciones a nuntio propositas et responsa testium: canonici Gnesnensis Gabrielis de Lovicio OP, decani capituli Vladislaviensis Iacobi Paczyński, archidiaconi Pomeraniae Andreae Duch[nicki], canonici Vladislaviensis Stanislai Stempowski et praepositi Chodicensis Nicolai Sobieburski. Qui omnes confirmant obiectiones contra episcopum motas circa vitam eius dissolutam, quam agebat, antequam episcopatum Cracoviensem obtinuit, circa corruptelam, quam exercere solebat ad consequendas promotiones in dignitatibus ecclesiasticis, circa neglegentiam in cura animarum et blasphemiam contra Christum, post Erasmus Roterodamum repetitam; non confirmant tamen obiectiōnem circa conniventiam episcopi ad haereses*

**Cop. coaeva:** Milano, BA, ms. D. 175 inf., f. 135r-141r (non accessibilis).

- **Cop. XX saec. ineuntis:** Kraków, BPAN, ms. 8464 (Theca Romana 124), pars 2 p. 31-45.

Processus factus per Rev.mum D.num Aloysium Lipomanum,  
Epub Veronensem, Nuntium in Regno Poloniae,  
contra D.num Andream Epub Cracoviensem suspectum de haeresi

Die XIII Martii 1556, in Arce Lovitii, Ducatus Masoviae, in aedibus Rev.mi D.ni Archepiscopi Gnesnensis [in exemplari Polono sequitur nota, etiam Polonice exarata, edocens in copia Mediolanensi totam introductionem et articulos 1-8 interrogatorii eosdem esse ac in processu Ioannis Drohojowski, mutato nomine episcopi eiusque dioecesis, loco articulorum 9-12 leguntur articuli 13 et 14 tanquam 8 et 9, quos sequuntur novi, videlicet]:

[32] 10<sup>o</sup>. Item quaeratur, num sciat praefatum Episcopum aliquando cum scerto publice et palam vagari per villas et rura<sup>183</sup>, nihil boni operans et nisi subditos expilando, agros et possessiones illorum occupando, et alias scandalosissime.

11<sup>o</sup>. Item quaeratur, num ecclesias parochiales in bonis Ecclesiae suaे sitas et alia sacerdotia spoliet decimis, agris etc; et num certam ecclesiam parochiale, mortuo plebano, annihilaverit, agros illius suo praedio appli-

---

<sup>183</sup> Incusatio sustinendae puellae, quam nonnulli ex testibus cognatam eiusdem Zebrzydowski, alli autem Iudeam baptizatam fuisse affirmabant, episcopo facta erat iam in instructione capituli Cracoviensis ad synodum provincialem Petricoviensem mense Maio a. 1551 exarata (cfr. Wiślocki, p. 481). Ipse Zebrzydowski eiusmodi accusationem confutat et asserit eam nil aliud quam calumniam esse (vide eius litteras 22 X 1551 ad Ioannem Przerembski datas, Wiślocki, p. 377).

cando et decimas illius adimendo; item et alium viventem plebanum sua vestre spoliaverit.

12º. Item si sci[al]t vel audiverit hunc Episcopum beneficia ecclesiastica non aliter conferre, nisi illi aliquid datum vel remissum fuerit, puta equus aut pecunia etc; et si verum sit etiam mutuo pecuniam acceptam recompensari beneficiis ecclesiasticis et per pacta de illis tractari et syngraphas seu cautiones collatis beneficiis a creditoribus recipi, alias non aliter sacerdotia conferri seu ad illa institui.

13º. Item si audivit testis Episcopum praedictum testamenta clericorum occupare et videre, et quod olim Felicis, Suffraganei Vilnensis, Cracoviae vi et de facto occupavit sex aut 7 millia ducatorum et executores incarcерavit, viros probos et doctos<sup>184</sup>.

[34] 14º. Item num ausus est Christum, Dominum nostrum, blasphemare eumque seductorem appellare, dicens: Nemo magis seduxit mundum, quam Moyses, Christus et Mahometes<sup>185</sup>.

15º. Item si ab Episcopo eodem dici audivit Prophetas Sanctos non aliud fuisse nisi mimos et insipientes rusticos.

16º. [Idem ac art. 15 in processu Ioannis Drohojowski].

### Attestationes

sumptae a Rev.mo D.no Aloysio Lipomano, Epo Veronensi, Ss.mi D.ni Nostri Pauli Papae Quarti et sanctae Sedis Apostolicae in Regno [4v] Poloniae Nunatio, de speciali Sanctitatis suae mandato, super fide, doctrina, vita, moribus et conversatione R.di Patris D.ni Andreae, Epi Cracoviensis, ad interrogacionem suprascriptorum capitulorum, per me Franciscum Varugolam, publicum apostolica et imperiali auctoritatibus Notarium, fideliter descriptae et in publicam formam redactae.

R.dus D.nus **Magister Gabriel Ordinis Praedicatorum**, Doctor et ex dispensatione apostolica Canonicus et Concionator Gnesnensis, testis, admonitus per R.mum D. Nuntium apostolicum hoc mane, quod est XXII Martii 1556, quod se hodie conferret ad Dominationem Suam Rev.mam, et ex parte Ss.mi D.ni Nostri Papae requisitus praeberet testimonium veritati super his, quae interrogaretur et sciret, comparuit coram Rev.ma Dominatione Sua

<sup>184</sup> Felix de Casimiria OP, epus titularis Caffensis et suffraganeus Vilnensis annis 1538-1548 (Kurczewski BW, p. 77). Obiectio haec nititur actis querelae inter eum Zebrzydowski et capitulum Cracoviense, Cracoviae diebus 16-23 VI 1554 habitae, in negotio testamenti Felicis eiusque executoris Nicolai de Wieliczka, professoris medicinae in universitate Cracoviensi, ab episcopo in carcerem coniecti (ed. Hippler-Zakrzewski HE II, p. 1016-1017, cfr. Barycz UJ, p. 185, 231).

<sup>185</sup> Blasphemiam, quam olim imperatorem Fridericum Barbarossa pronuntiasse tradunt, Zebrzydowski ab Erasco Roterodamo transumpsisse fertur, cfr. infra, depositionem Iacobi Paczyński. Etiam haec obiectio in supramemorata instructione in usum legatorum ad synodus Petricoviensem a capitulo Cracoviensi nominata est (ed. Wiśłocki, p. 481).

in Arce Lovitii in eius cubiculo hora vigesima prima, uti oboedientiae filius. Qui ab ipso Rev.mo D.no Nuntio iuxta quaedam capitula, quae habebat in manibus, interrogatus fuit, et is, delato ei iuramento in forma, hoc modo ad interrogata respondit:

Et primo super primo interrogatus respondit, quod optime novit D.num Epum Cracoviensem modernum, et[iam] antequam esset Episcopus; et quod fuit Basileae sub disciplina Erasmi Rotherodami<sup>186</sup>; et putat etiam fuisse socium Laski haeretic<sup>187</sup>. Et nescit, an dederit operam sacris litteris.

[35] Super 2<sup>o</sup> interrogatus, respondit illum ante fuisse Episcopum Vladislaviensem<sup>188</sup>, in quo Episcopatu non bene se gessit; et articulum esse verum, praeterquam quoad doctrinam, quia non credit eum docuisse falsitates, verum non prohibuisse.

Super 3<sup>o</sup> ignorare respondit.

Super 4<sup>o</sup> respondit interrogatus, eum fuisse admonitum, sicut et alios Episcopos.

Super 5<sup>o</sup> capitulo scit eum fecisse Confessionem Generalem in Synodo<sup>189</sup>, et rectissime.

Super 6<sup>o</sup> dixit eum fuisse promotum in Episcopum Cracoviensem indulgentia et promissis Regis, quia ei inservivit in Ongarica Legatione<sup>190</sup>.

Super 7<sup>o</sup> articulo dixit credere omnia esse vera contra D.ni Episcopi personam, et hoc esse publicum et notorium ubique.

Super 8<sup>o</sup> capitulo respondit in omnibus et per omnia verum esse.

Super 9<sup>o</sup> dixit audivisse admonitionem esse factam a Capitulo, et quod semper repulit eam cum verbis iniuriosis.

Super X<sup>o</sup> interrogatus respondit de scorto audivisse, dum esset Canonicus et Epus Vladislaviensis, sed nunc nihil scire.

Super XI<sup>o</sup> capitulo se nihil scire respondit.

Super XII<sup>o</sup> dixit se nihil scire.

Super 13<sup>o</sup> dixit articulum verissimum et etiam notum omnibus, et prae-  
sertim Capitulo Cracoviensi.

[36] Super 14<sup>o</sup> respondit, quod fertur eum ita dixisse, sed eum non audi-  
visse.

Super 15<sup>o</sup> capitulo dixit idem audivisse a viris gravibus illum ea verba  
dixisse.

<sup>186</sup> Zebrzydowski studiis litterarum operam dabat Basileae "sub disciplina" Erasmi a. 1528. Ad nostram usque aetatem conservatae sunt 2 epistulae Roterodami ad eum Basilea a. 1527 datae (ed. Wiśłocki, p. 437-438).

<sup>187</sup> Revera Zebrzydowski non nisi post discessum Ioannis Łaski a. 1525 (cfr. Oskar Bartel, *Jan Łaski, 1499-1556*, Warszawa 1955, p. 84), Basileam venit.

<sup>188</sup> Annis 1546-1551 (Gulik-Eubel HC III, p. 336).

<sup>189</sup> Scilicet in synodo Petricoviensi a. 1551 (cfr. supra, in processu Ioannis Drohojowski).

<sup>190</sup> Haec legatio ad Isabellam, viduam Ioannis Zápolya, in Transilvaniam verno tempore a. 1549 expleta erat, dum electio capitularis Andreae Zebrzydowski ad sedem Cracoviensem, mandatu regis, 22 XII 1550 a. peracta est (vide Wiśłocki, p. 496).

Super 16º capitulo, num de praemissis omnibus sit publica vox et fama, respondit fere publicam esse.

Circa personam recte respondit, et quod non est inimicus, nec testificatus fuisset, nisi ex praecepto apostolico per eundem Rev.mum D.num Nuntium sibi facto, et quod ipse nesciebat se vocari pro hac causa.

Die Veneris X Aprilis 1556 de mane in eodem loco Lovitii, constitutus personaliter Rev.dus D.nus **Iacobus Paczinski, Decanus Vladislaviensis**, vocatus specialiter per litteras eiusdem Rev.mi D.ni Nuntii Apostolici cum duobus Rev.dis fratribus de Capitulo, delato [*iuramento, ut in processu Ioannis Drohojowski*] respondit:

Et primo super primo interrogatus, dixit se cognovisse D.num Andream Epub Cracoviensem etiam tum, cum nulla spes esset, quod promoveretur ad Episcopatum; et erat Canonicus Cracoviensis et Plocensis<sup>191</sup>; et vita eius tunc erat dissoluta, nam amabat quandam infamem mulierem perdite, quae causa fuit mali eius nominis. Interrogatus etiam, respondit audivisse D.num Episcopum dedisse operam litteris Cracoviae<sup>192</sup> et postea sub Erasmo Rotheroderamo [sic], ad quem fuerat missus a D.no Episcopo Plocensi, avunculo suo<sup>193</sup>, ubi audivit ibi eum iisdem artibus vixisse; quibus autem litteris operam dederit, ignorat. Bene scit eum esse studiosum in legendis istis libris pollicioribus. Vedit etiam apud eum libros catholicos, Augustinum et alios, sed an illos legat, ignorat.

Super 2º interrogatus dixit se credere, quod sit quartus, quintus vel sextus annus, quod sit Epus Cracoviensis, sed antea fuit Kamen[e]censis et Chelmensis et Vladislaviensis<sup>194</sup>. Et D.nus testis cognoscit eum, quia fuit Cancellarius eius in Episcopatu Cracoviensi per tres annos fere cum dimidio. Quoad doctrinam contentam in capitulo, ipse dixit nihil scire; hoc scire tantum, quod dictus Episcopus videret libenter haereses proficere, et si videtur aliquando loqui contra, facit propter apparentiam; imo cum ipse testis eum ex officio suo aliquoties admoneret, ut haereticos persequeretur, respondit ei: Heu, tu hoc vis, ut occidar ab istis? Familiam satis probam habet, quae satis christiane vivit.

Super 3º interrogatus respondit, quod nunquam vidit eum legentem haereticorum libros, et quod nunc legit Summam Conciliorum<sup>195</sup>.

<sup>191</sup> Installatus in canonicatum Cracoviensem 23 VIII 1530 (Wisłocki, p. 438), in Plocensem vero 22 II a. 1531. Praeter haec possidebat etiam aliquot alia beneficia minora.

<sup>192</sup> Annis 1517-1518 in Academia Cracoviensi, deinde privatim apud Leonardum Coxe (cfr. Barycz UJ, p. 47-48, 299).

<sup>193</sup> Andreas Krzycki, cuius soror Elisabeth fuit mater Andreae Zebrzowski.

<sup>194</sup> Provisio pontifícia ad episcopatum Camenecensem facta est 13 III 1543, ad Chelmensem 8 VI 1545, ad Vladislaviensem vero 19 II 1546 (Gulik-Eubel HC III, p. 148, 164, 336).

<sup>195</sup> Una ex duabus tunc exsistentibus collectionibus: Iacobi Merlin, *Tomus primus et Tomus secundus Conciliorum generalium*, Parisiis 1524 (editiones sequentes Coloniae 1530 et Parisiis 1524) vel Petri Crabbe *Concilia omnia tam generalia quam particularia*, T. 1-2, Coloniae Agrippinae 1538.

Super 4º dixit articulum esse verum, et fuisse praesentem, quando D.nus Archiepiscopus eum admonuerit.

Super 5º interrogatus, dixit fecisse Confessionem et bonam, sicut alii Episcopi; et quod fuit redar[38]gutus a Rev.mo D.no Archiepiscopo, quod saepe inter familiaria colloquia solebat dicere audivisse ab Erasmo dici, quod nullus fuerat magis seductor in mundo, quam Moyses, Machometh vel Paulus et Christus.

Super 6º nihil se scire respondit, sed quod tamen homines mirabantur, quod fuisse promotus, cum nec doctrinae, nec vitae merita aliqua haberet, sed scit servisse quandoque Regi defuncto<sup>196</sup> in curia.

Super 7º capitulo dixit totum capitulum verissimum esse in contrarium et in malam partem. Scit etiam nunquam audire sacra, nec celebrare missam, nisi rarissime.

Super 8º capitulo dixit verum capitulum, praeterquam quod de diebus festis nescit.

Super 9º articulo respondit capitulum verissimum; et quod non solum non admisit admonitiones eorum, sed contumelia eos affectit.

Super Xº capitulo dixit interrogatus, quod articulum verum est; et quod scortum, quod traducit, est quaedam mulier iuvenis, consanguinea eius, non coniugata, quae semper vadit cum eo; et quod fovet etiam alias multas in aliis praediis.

Super XIº capitulo respondit capitulum totum verum.

Super XIIº capitulo respondit libere [39] articulum verum et plusquam verum esse; et quod scit quandam consobrinum suum coactum fuisse pro Canoniciatu remisisse mille trecentos florenos<sup>197</sup>.

Super 13º capitulo interrogatus, respondit capitulum verum esse in omnibus.

Super 14º articulo interrogatus, respondit capitulum verum esse in omnibus.

Super 15º capitulo respondit non recordari de hoc, nec aliquid scire. Bene scit, quod de immortalitate animae male sentit.

Super ultimo interrogatus de publica voce et fama, dixit esse publicum et notorium in toto Regno.

Super generalibus circa personam recte respondit, nec est eius inimicus, imo totam substantiam suam daret pro redimenda illa fama sua, quia virtuperat dignitatem episcopalem et totum Ordinem ecclesiasticum. Et est aetatis annorum quadraginta cinque [sic].

Constitutus Rev.dus D.nus **Andreas Duch[nicki], Archidiaconus Pomeriae**, testis, ut ante, assumptus et, ut supra, specialiter vocatus per

<sup>196</sup> Sigismundus I.

<sup>197</sup> Quis ille fuerit, inventire non potui. Forsitan Stanislaus Stempowski (bona Stępowo et Pacyna in terra Gostinensi ad gentes Stempowski et Paczyński pertinebant).

litteras, monitus, iuratus et interrogatus de dicenda veritate super his, de quibus fuerit examinatus, iuramento suo testificando respondit:

Et primo super primo respondit se cognovisse D.num Andream Epum Cracoviensem, et quod cognoscit eum, dum ageret Episcopum Vladislaviensem. Inter[40]rogatus, quae vita esset sua tunc temporis, respondit: Non adeo exemplaris, et ut desideratur in Episcopo. Interrogatus de electione et litteris suis, respondit nihil se scire.

Super 2º interrogatus [respondit] se nunc ignorare vitam suam, sed audire, quod non est frequens in Ecclesia, sed vagatur per Diocesim. Audivit tamen, cum esset Epus Vladislaviensis, quod adversabatur istis haereticis et contra eos loquebatur.

Super 3º respondit se ignorare totum articulum.

Super 4º et 5º capitulo dixit articulos veros; et fuisse factam etiam super his constitutionem; et quod fecerunt Confessionem fidei omnes Episcopi. Quod in specie fuerit redargutus, nescit, quia absens erat.

Super 6º capitulo respondit nescire, nisi quod favore Regiae Bonae fuit promotus et quorundam consanguineorum suorum, etiam Episcoporum, qui fuerunt viri valde probi.

Super 7º capitulo dixit nihil scire, nisi prout dixit supra in 2º.

Super 8º capitulo dixit esse communem famam, ut ea fiant [sic].

Super 9º capitulo respondit, quod intellexit fuisse factas admonitiones a Capitulo et non libenter eas recepisse.

Super Xº capitulo respondit se ignorare, nisi quod audivit a principio sui Episcopatus habuisse quandam Iudeam baptisatam, cum qua fama erat, quod commiscebatur.

Super XIº capitulo iuramento suo respondit se audivisse fuisse factam quaerimoniam in Synodo; et quod fuit compulsus restituere agrum parochiae; et de [41] veste pellicea audivit, sed a quibus, non recordatur.

Super XIIº capitulo dixit se audivisse, quod aliqua beneficia contulit, prout in capitulo.

Super 13º capitulo dixit publicam famam esse de hoc in toto Regno.

Super 14º interrogatus, respondit contenta in capitulo divulgata esse per Regnum; et quod ipse D.nus Episcopus dixit hoc habuisse ab Erasmo, sed ipse testis nunquam audivit ab ore eius.

Super 15º capitulo respondit se nihil scire.

Super ultimo capitulo dixit, quod si non est publica vox et fama, est tamen satis divulgatum inter clerum et in multis partibus Regni.

Super generalibus circa personam recte respondit. Et est aetatis circiter quinquaginta annorum.

Die Sabbati XI Aprilis 1556 in eodem loco, constitutus Rev.dus D.nus **Stanislaus Stamoski, Canonicus Vladislaviensis**, testis ut ante assump-tus, monitus, iuratus, et interrogatus iuramento suo testificando respondit:

Et primo super primo interrogatus, dixit se cognoscere D.num Andream Epum Cracoviensem, quia fuit etiam Epus Vladislaviensis, sed antea non cognovit.

Super 2º interrogatus respondit, quod non bene se gerebat in officio episcopali, quando eorum erat Episcopus, nec residebat in Ecclesia; et quod D.ni Capitulares bis miserunt ad eum vocandum, ut in festis Nataliciis veniret ad Ecclesiam, et quod tandem venit in festo S. Ioannis Evangelistae; et quod nullum haereticum perse[42]quutus est, etiam a D.nis Capitularibus requitus. Interrogatus de familia sua tunc temporis, respondit, quod habebat familiam valde dissolutam et infamem, quae et multas insolentias faciebat pauperibus hospitalibus. De haeresi vero nihil unquam intellexit.

Super 3º interrogatus respondit se nihil scire.

Super 4º capitulo interrogatus respondit nihil scire.

Super 5º articulo dixit se ignorari.

Super 6º capitulo interrogatus respondit, quod de Episcopatu Vladislaviensi scit, quod ipse dedit D.no Cancellario, Soboschi nominato, qui tunc vivebat<sup>198</sup>, clavem Vladislaviensem, quae vocatur Gnesulcho, quam tenuit usque ad mortem<sup>199</sup>; et pro Cracoviensi Episcopatu dedit Ser.mo Regi oppidum Vavrincischae circa Cracoviam<sup>200</sup> cum aliquibus villis; quod nunc etiam Maiestas Sua, Ser.ma quoque Regina Bona, non remansit indonata.

Super 7º respondit, nescire quomodo nunc vivat, sed audivisse non esse in Ecclesia sua, sed vagari huc illuc per praedia. In ceteris intellexisse articulum verum.

Super 8º interrogatus dixit audivisse articulum verum esse.

Super 9º interrogatus respondit se scire fuisse admonitum a Capitulo, sed parvi fecisse eius admonitiones.

Super Xº interrogatus dixit de praesenti se nihil scire, sed cum erat Episcopus Vladislaviensis recor[43]datur, quod habebat quandam puellam Iudaeam baptisatam et eam tenebat apud se cum maximo omnium scandalo.

Super XIº capitulo dixit se nihil scire certi, sed tamen audivisse.

Super XIIº capitulo interrogatus respondit, quod non solum D.nus Epus Cracoviensis, sed fere omnes Episcopi id faciunt.

<sup>198</sup> Thomas Sobocki († 1547), consiliarius reginae Bonae, ab a. 1544 regni Poloniae cancellarius.

<sup>199</sup> Niesułków, pagus olim in finibus episcopatus Vladislaviensis, 18 km septemprionem et orientem versus a Łódź distans. De donatione illius clavis (de qua vide *Inventarz*, ut in nota 153, p. 93-99), quam mortuo Thoma Sobocki Zebrzydowski recuperare volebat, ita ipse scribebat ad palatinum Siradiensem, Stanislaum Łaski, mense Februarii 1547 a.: "etsi enim huius me possessionis usum Sobotio olim concessisse non omnino poenituit, erat enim mihi hominis gratia et voluntas ad multas res accommoda", tamen cum Niesulków medio itinere inter Volborium et Vladislaviam inveniatur et episcopo valde commodum esset ibi saepe subsistere, "quae res plane id effecerat, ut etiam viventi Sobotio, in his contumis tamen, Nesulcovum aequis condicionibus acciperem, re aut aliis rationibus composita, aut fidem de Nesulcovu datam pecunia redimendo" (Wisłocki, p. 94).

<sup>200</sup> Wawrzyniczyce (Wawrzeńczyce), 30 km orientem versus a Cracovia. Hanc ipsam obiectionem fecerunt episcopo etiam canonici Cracovienses in instructione legatis ad synodum Petricoviensem a. 1551 data (cfr. Wisłocki, p. 481). De donatione huius villæ loquitur etiam ipse Zebrzydowski in litteris ad regem ,13 V 1551 datis (Wisłocki, p. 335).

Super 13º interrogatus dixit se audivisse articulum verum esse; et quod duo doctores, viri boni, fuerunt incarcerati.

Super 14º respondit verum fuisse et ita audivisse non semel ex ore eius, cum esset Epus Vladislaviensis.

Super 15º capitulo dixit se nihil scire.

Super ultimo dixit, quod de his rebus omnibus est publicum et notorium apud omnes.

Super generalibus circa personam recte in omnibus respondit. Et est aetatis 70 annorum vel circa.

Die XXIII mensis Aprilis 1556 in Arce Unioviensi, Diocesis Gnesnensis, constitutus Rev.dus D.nus **Nicolaus Sobieburski, Praepositus Chodensis Ecclesiae Mansionariorum**, Diocesis Vladislaviensis, testis specialiter vocatus a Rev.mo D.no Nuntio apostolico, et delato ei primitus iuramento de veritate dicenda super omnibus, de quibus fuerit interrogatus, ita ad interrogata respondit.

Et primo super primo interrogatus, si cognoscit D.num Andream Eum Cracoviensem, [respondit], quod sic, quia etiam est Episcopus suus, quia habet Ecclesiam parochiale in sua Diocesi, nominatam Msticzuow<sup>201</sup>, non tamen eum novit ante episcopatum eius, nec scit vitam eius tunc temporis.

[44] Super 2º interrogatus respondit, quod prius fuit Kamenecensis et postmodum Vladislaviensis, et quod etiam ibi male se gerebat, sicut etiam nunc, et insimul familia sua male vivebat, sed non quod esset haeretica. Quomodo autem fuerit promotus ad Cracoviensem Ecclesiam, respondit nescire.

Super 3º, 4º, 5º et 6º dixit se nihil scire.

Super 7º interrogatus, quomodo nunc vivat et si habet bonum testimonium vitae sua, respondit, quod non adeo bonum, imo malum; et quod raro est in Ecclesia, nec intendit correctioni ovium suarum; quod aliquando contra haereticos bene se habuit et illos persequutus est, nunc vero nihil facit, sed ruri habitat. Circa reliqua capitulum verum, quia plus occupatur circa saecularia, quam spiritualia negotia.

Super 8º interrogatus respondit articulum esse verum, de festis autem ignorat.

Super 9º dixit pro certo nihil scire.

Super Xº dixit se audivisse articulum esse verum; et quod, quando erat Epus Vladislaviensis, habebat quandam iuvenem secum, quae dicebatur esse Iudea.

Super XIº respondit se pro certo nihil scire, sed tantum fama adivisse et ab his, qui spoliati erant.

---

<sup>201</sup> Mstyczów, pagus 80 km a Cracovia distans.

Super XII<sup>o</sup>, ex fama dixit audivisse articulum verum, sed pro certo nihil scire.

[45] Super 13<sup>o</sup> audivit capitulum verum a religiosis Ordinis Praedicatorum, sed pro certo nescit.

Super 14<sup>o</sup> interrogatus respondit se audivisse a quibusdam Nobilibus articulum verum, sed ipse nihil tale audivit ab ore eius.

Super 15<sup>o</sup> capitulo respondit idem, quod in superiori et immediate praecedenti dixit.

Super generalibus de publica voce et fama, dixit esse publicum et notarium in toto Regno.

Super generalibus circa personam recte respondit. Et est aetatis annorum 44.

Et quia ego Franciscus Varugola, Civis Veronensis, publicus apostolica et imperiali auctoritate Notarius, dum omnia et singula praemissa sic age-rentur et fierent, et testium praedictorum examini interfui, eorumque depositiones fideliter descripsi et in notam sumpsi, ideo praesentem Processum, residuum anterioris, Romam transmisi, manu mea scripsi et subscriptione mea firmavi, signo mei tabellionatus consueto apposito.

Locus signi.

## A. 20.

**Stanislaus Hosius, epus Varmiensis  
Paulo IV, pontifici maximo**

Heilsbergae, 31 III 1556.

*Nuntiat brevia eius sibi per Franciscum Krasiński et Aloisium Lippomanum transmissa esse. Gratias agit, quod tam doctum et sanctum nuntium in Poloniā misit. Pollicetur se Ecclesiam totis viribus defensurum, ad omnem nutum nuntii, quem frustra ad se in Varmiam ut veniret invitaverit.*

**Cop. coaeva:** Milano, BA, ms. D 175 inf., f. 182v-183v (non accessibilis)

**Cop. XVI saec.:** Roma, APUG, ms. 588 f. 195v-199r.

- Ed.: Rykaczewski I, p. 62-64 (sine indicatione, undenam illam hauserit).

-- Reed.: Hipler-Zakrzewski HE II, p. 699-700.

**Cop. XVI saec.:** Torino, AS, Racc. Mongardino, ms. 82 f. 335r-337r.

Ss.mo ac Beatissimo in Christo Patri, Domino D.no Paulo IV,  
divina providentia Sanctae Romanae ac Universalis Ecclesiae [196r] Summo  
Pontifici, Domino clementissimo

Ss.me ac Beatissime Pater et Domine clementissime.

Post oscula pedum beatorum. Binas V.rae Sanctitatis accepi litteras, quarum unas, quae scriptae posterius fuerunt, prius ad me transmisit Venerabilis D.nus Franciscus, Ecclesiae Callisiensis Archidiaconus, quibus gratulationi meae respondere Sanctitas Vestra gravata non est<sup>202</sup>; alteras tertio ante mense scriptas, cum eum Varsaviae convenissem, reddidit mihi tertio post mense, pridem a nobis ardentissime votis expetitus Rev.mus Dominus Aloysius Lippomanus, Epus Veronensis, V.rae Sanctitatis Nuntius<sup>203</sup>. Quem etsi antea quoque, cum ex litterarum monumentis, quibus nomen [196v] suum immortalitati consecravit, tum ex optimorum quorumque sermonum qui vir esset cognovisse videbar, tamen paucorum dierum usu, quibus cum illo versatus sum<sup>204</sup>, magis est opinio, quam de illo cooperam, confirmata. Sic enim insignem in eo vitae ac morum integritatem cum praestanti doctrina certare vidi, neutra ut alteri concedere velle videretur, neque doctiorne sit an sanctior statuere satis possem. Quamobrem plurimum Sanctitati V.rae debemus, quae nos dignos duxit, ad quos virum tam excellentem mitteret. Quod si vero bis dat, qui cito dat, non bis sed ter Sanctitas V.ra dedisse videtur, quae non modo cito dedit, verum etiam prius dedit, quam precibus de eo nostris fuisset interpellata<sup>205</sup>, beneficioque suo cogitationes nostras antevertit. Quam illius benignitatem erga nos et clementiam singularem, quibus verbis praedicare satis queam, equidem non invenio. [197r] Quid enim prius praedicem? Illudne, quod virum tam praestanti doctrina praeditum dedit, quem Iulius III, praclaro et ipse iudicio praeditus, oecumenico concilio praesidere voluit? An quod nulla mora prorsus interposita, statim, ut est ad dignitatis huius amplissimae fastigium erecta, dedit? An quod cum nos in tantis periculis constitutos esse videret, in eo dando ne expectandum quidem duxit, dum supplices a Sanctitate V.ra peteremus? Admirabilis est haec et unquam satis ab ullo mortalium praedicanda cura et sollicitudo Sanctitatis V.rae in tuendo grege, quem sanguine suo redemptum et a luporum insidiis tuendum Sanctitati V.rae Christus commendaverit.

Caeterum, quod hortatur me Sanctitas V.ra, ut religionem Dei ac Domini Nostri Iesu Christi tuear atque defendam, homo sum, humani nihil alienum

<sup>202</sup> Epistulam Stanislai Hosii vide in A. 7, responsum vero summi pontificis, per Adamum Konarski transmissum, non est repertum.

<sup>203</sup> Agitur de brevi commendaticio in personam Lippomani, 14 VIII 1555 dato (reg. AV, Arm. 44, ms. 4 f. 123v-124r).

<sup>204</sup> Varsaviae, vide supra, A. 17.

<sup>205</sup> Revera nominatio Lippomani praevenit supradictas litteras Hosii, 13 VII 1555 datas, quibus i.a. legationem hanc mitti postulabat.

a me puto. Quamobrem, quo magis imbecillitatis meae mihi [197v] sum conscientius, hoc minus de viribus meis vel mihi vel aliis polliceri possum. Verum hoc sciat Sanctitas V.ra tam firmam in eodem Deo et Domino meo Iesu Christo, cuius nunc fidem evertere quidam conantur, mihi spem et fiduciam esse collocatam, ut de eius misericordia certe mihi pollicear, qui promptam dedit ad eam rem voluntatem, eum vires quoque suppeditaturum gratiamque mihi suam impertiturum, ut et faciam et patiar prius omnia, quam periclitanti in patria mea religioni pro virili mea succurrere paratus non sim. Qua in re etiamsi vita mea mihi ponenda esset, quid est quod ab Episcopo Christiano magis expeti debeat? Cuius enim causa vitam nostram ponere paratores esse debeamus, quam qui prior ipse mori pro [198r] nobis, inimicis et impiis, dignatus est?

Itaque, si quam de me Sanctitas V.ra tuendae religionis opinionem concepit, eam, Dei fretus auxilio, non fallam. Scio vires meas esse nullas, sed quantum Deus praestare mihi dignatus fuerit, tantum contendam et elaborabo, cum Nuntio Sanctitatis V.rae consilia semper habebo, quod et feci hactenus sedulo et facere deinceps non intermittam. Utinam autem illi persuadere potuisse, ut ad possessiunculas meas divertere et aliquandiu mecum degere, dum a Sanctitate V.ra responsum expectat, animum induxisset. In magnam hoc felicitatis meae partem posuisse ac fore sperasse, ut minus molestiae caperet ex hac sua diuturniore in his terris commoratione. Sed quando secus illi visum est, ego nihil [198v] officio meo deero, quod factum ultro promisi, quoties quemcumque in locum vocari me voluerit, ad nutum etiam illius magna cum animi mei alacritate praesto semper sum futurus. Nec eorum quidem facere praetermittam, quae ad ecclesiasticum, orthodoxum, Sanctaeque Sedis Apostolicae cumprimis observantem Episcopum putavero pertinere. Quod sibi certo de me Sanctitas V.ra persuadeat licebit. Deo fretus, non fallam opinionem illius. Quem supplex precor, ut Sanctitatem V.ram, pro singulri totius Ecclesiae, cui praeest, consolatione, quam longissimo tempore servet incolumem et felicem. Cuius me gratiae, qua summa possum animi mei submissione, commendando. [199r] Datum in Castro meo Heilsberg, pridie Calendas Aprilis, anno 1556.

Eiusdem Sanctitatis V.rae

humillimus Capellanus et Servus addictissimus  
Stanislaus Epus Varmiensis

## A. 21.

**Exceptio Aloisii Lippomano Gnesnae**

Gnesnae, 29 IV - 3 V 1556.

*Secretarius capituli describit adventum et sollemnem salutationem, nuntio (Lippomano) die 29 IV in ecclesia cathedrali Gnesnensi paratam, et refert se in sessione capituli 30 IV celebrata canonicis interrogationes proposuisse - easque in secreto teneri iussisse - circa statum Ecclesiae in Polonia et modos ac vias eam emendandi ac reformandi; significat canonicos responsones suas usque ad 3 diem mensis Maii elaboravisse et eo ipso die eas in scriptis per Gabrielem de Lovicio nuntio porrexisse..*

**Or.:** Gniezno, AA, ACap, ms. B 20 (Acta Capituli Cathedralis) f. 10v-11r.

**- Ed.:** Korytkowski AG III, p. 195 (fragmentum).

Ingressus Rev.mi D.ni Legati Apostolici Gneznam,  
die Mercurii, penultima Aprilis

Rev.mus in Christo Pater, D.nus Aloisius Lipomanus, Dei gratia Episcopus Veronensis, Ss.mi in Christo Patris et D.ni Nostri D.ni Pauli, divina prudenteria Papae Quarti suaeque Sedis Apostolicae Nuntius, vir aetate gravis, eruditio singulari ac doctrina praecipue praeclarus, consilio matus ac de sanctimonio vitae plurimum commendatus, praesentia ac comitatu magnifico Rev.mi in Christo Patris et Domini Nicolai, eadem gratia Archiepiscopi Gneznensis, stipatus, hanc Civitatem Gneznensem ingressus est. Cui Rev.di ac Ven.les Domini Praelati et Canonici totusque Clerus, tam Ecclesiae Metropolitanae Gneznensis, quam parochialium intra et extra muros Civitatis predictae Gneznensis, in occursum ante fores summi Ecclesiae predictae, superpiliciati et almucinati exiverant. Quibus tandem ille seorsum manuum stipulatione ac osculis humillime salutatis, eisdem Dominis Dominationem Suam Rev.mam praecedentibus, predictam Ecclesiam Gneznensem est ingressus. Demum Dominationem Suam Rev.mam, unacum Rev.mo Domino Archiepiscopo praefato, in stallo, ante tumulum Divi Adalberti stantem, Rev.mus in Christo Pater, D.nus Sebastianus Źydowski, eadem gratia Epus Natoniensis, Abbas Mogilnensis, Suffraganeus, Canonicus, Vicarius in spiritualibus et Officialis Gneznensis Generalis<sup>206</sup>, nomine omnium Praelatorum et Canonorum eiusdem Ecclesiae Gneznensis, sibi adstantium, brevi, erudita ac expolita oratione exceptit. Ad quam oratiunculam Dominatio Sua

<sup>206</sup> Sebastianus Źydowski († 1560), abbas Mogilnensis OSB, epus titularis Natoniensis et auxiliaris Gnesnensis ab a. 1541.

Rev.ma humaniter, docte ac prudenter responsione facta ac finita, ad statum archiepiscopale in choro progressa est, ubi in signum congratulationis Te Deum laudamus per chorum Scholarium Vicariorum, cantu organorum intermixto, alternis vicibus, continue est et solemniter decantatum. Quo ac Summo Sacrificio finito, per eundem Rev.mum D.num Archiepiscopum, Praelatos et Canonicos ad curiam praenominati Rev.mi D.ni Episcopi Naturiensis, in qua diversabatur, est reducta.

[11r] Proposita per Legatum Apostolicum die Iovis, ultima Aprilis

Praenominatus Rev.mus D.nus Episcopus Veronensis, Legatus Apostolicus, post mutuas salutationes, exceptiones ac gratulationes cum Dominis praedictis capituloiter factas, illis, in praesentia praenarrati Rev.mi D.ni Archiepiscopi, nonnulla de religionis statu in medium proposuit, quae ut secretissime in cordibus suis retinerent neminique panderent ipsos admonuit, iuramentoque circa receptionem ad hanc Ecclesiam, per eos praestari solito, obstrinxit. Quapropter, quum eadem omnia sint secreta, nec hic ad acta praesentia sunt inserta. Eadem proposita Legati Apostolici saepfatus Rev.mus D.nus Archiepiscopus repeti de illisque Dominis invicem consultare ac tractare mandavit. Quos quidem propositos articulos, Rev.di ac Ven.les D.ni Albertus Sziemycowski Scholasticus, Clemens Rudnyczki Custos, Martinus Lopateczki, Albertus Psarski a Costen I. U. Doctor, Ioannes Kokalewski, Sebastianus Źydowski, Dei gratia Epus Naturiensis Suffraganeus, Florianus Cothwicz, Martinus Galczynski, Stanislaus Dąbrowski I. U., Nicolaus a Cracovia medicinae, Gabriel a Lowicz sacrae Theologiae Doctores, Iacobus Milewski, Nicolaus Chwalischewski ac Petrus Żernyczki, Praelati et Canonicci Ecclesiae praedictae Gneznensis<sup>207</sup>, capitulum generale ad diem hodiernam continuatum determinando, discutentes, mutuis maturisque ac prolixis deliberationibus praehabitis, scriptis conciliorum generalium ac aliis Sacrae Scripturae necessariis communicatis, die Lunae, tertia Maii ad eosdem articulos per Ven.lem D.num Gabrielem praedictum, confratrem suum, responderunt, huiusmodique responsionum, consiliorum ac deliberationum suarum conscriptarum schedam eidem Rev.mo D.no Legato porrexerunt ac in manus tradiderunt<sup>208</sup>.

<sup>207</sup> Albertus Siemikowski, Clemens Rudnicki, Martinus Łopatecki, Albertus Psarski, Ioannes Kokalewski, Sebastianus Źydowski, Florianus Kotwicz, Martinus Gałczyński, Stanislaus Dąbrowski, Nicolaus Kuntze de Cracovia, Gabriel a Lovicio, Iacobus Milewski, Nicolaus Chwaliszewski et Petrus Żernicki. Vide eorum vitas apud Korytkowski (*litterarum ordine dispositas*).

<sup>208</sup> Simili modo accepti sunt Lippomanus et aepus Dzierzgowski 7-8 V Posnaniae (cfr. excerpta ex actis capituli in Ulanowski ACPV, p. 135) et 17-18 V Plociae (excerpta actorum capituli ab Ulanowski ACP, p. 227-228 et a Wierzbowski U II, p. 51-56 edita). Acta capituli Vladislaviensis, de hac visitatione tractantia, non sunt asservata.

## A. 22.

**Sigismundus Augustus, rex Poloniae  
Andreae Sieprski, palatino Ravensi, capitaneo Plocensi  
et Stanislao Borek, capitaneo Sochaczeviensi**

Ex venationibus Volkinicensibus, 4 V 1556.

*Certior factus Dorotheam Łazęcka et Iudeum Bieszko Szkolny nuncupatum, cui eadem Łazęcka hostiam consecratam ex ore clam extractam vendidisse creditur, in rogo crematos esse, iubet, ut tertio die post praesentatas eis has litteras complices eorum: Michałek, Socha et Iosephum aliosque, si qui adsint, reos coram iudicio sistant poenisque debitiss puniant, bona autem eorum confiscari faciant.*

**Cop. coaeva:** AV, A.A. I-XVIII, ms. 4352 s.f. (transumptum ex originali in acta castri Sochaczeviensis et deinde in acta processus Iudeorum Sochaczeviensium relatum).

Sigismundus Augustus, Dei gratia Rex Poloniae, Magnus [Dux] Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae etc. dominus et heres, Magnifico Andreae Szieprski de Golczevo, Palatino Ravensi et Capitaneo Plocensi, in absentia eius Vicepalatino vel Iudici Iudeorum Sochaczeviensium, et generoso Stanislao Borekg de Trczieniecz [sic], Tribuno et Capitaneo Sochaczoviensi, sincero et fidei nobis dilecto, gratiam nostram regiam.

Magnifice et Generose, synceri et fideles nobis dilecti. Non sine magno animi nostri horrore et dolore [v] accepimus quandam mulierem Dorotheam Lazezka Sacrosanctum Dei et Salvatoris Nostri Iesu Christi Corpus, ore impuro susceptum atque inde clanculum extractum, perfido Bieszko Iudeo Szkolni ex pacto tradidisse eumque cum Michalek, Socha et Iozeph, perfidis Iudeis, illud in Synagogam Iudeorum intulisse, neque quid eo fecerint scriri, nam quamvis Dorothea praedicta capta ante et in tormentis atque etiam in ipso incendii articulo, quo absumpta est, tradidisse ipsis Iudeis sacrosanctum salutis nostrae pignus confessa fuerit, Iudeique a Synceritate et Fidelitate tua capti teneantur, tamen de illis neque inquisitio facta neque supplicium sumptum est<sup>209</sup>. Quod equidem miramur. Etsi enim Deus noster in coelo est, neque impiorum manibus violari potest, tamen non est Christiani Regis neque Christianorum Officialium prophanari et contaminari perfidorum et scelestorum hominum audacia sacrosancta fidei nostrae mysteria pati.

<sup>209</sup> Cfr. supra, N. 100-101.

Mandamus itaque Synceritati et Fidelitati tuae, omnino habere volentes, ut tertio die post praesentatas illis praesentes litteras nostras, si citius id fieri non poterit, praedictum Bieszko Iudeum Skolni, principio quaestionibus et tormentis admoveant, deinde reliquos tres, atque ab eis veritatem exprimant, ut confiteantur quid cum Sacro Sacramento hoc egerint. Et si qui alii Iudei eius impietatis et sceleris concii fuerint, et in eos quidem, qui iam capti sunt, forpicibus quidem ignitis tractos, laceratos, ignis suppicio animadvertant, conscos vero, nulli sexui parcentes, in vincula coniiciant atque [v] ad informationem usque nostram in vinculis teneant; eorum bona, qui suppicio affecti erunt, conscripta, legitime distrahanter et divendant, pecuniamque in Arce nostra Sochaczoviensi ad informationem nostram adservent. Pro fide et officio suo ac gratia nostra aliter non facturae. Datum in venerationibus nostris Volkinicensibus<sup>210</sup>, quarta die mensis Maii, Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto, Regni vero nostri vigesimo septimo.

Ad mandatum Sacrae [Regiae] Maiestatis proprium.

### A. 23.

**Instructio a Ioanne Tarnowski, castellano Cracoviensi  
misso suo ad aepum Nicolaum Dziergowskii  
et nuntium Aloisium Lippomano data**

s.l., [initio Iunii 1556].

*Tumultus turbasque intestinas in Polonia pertimescens et periculum Turicum, quod toti Europae immineret, si, re publica debilitata, regnum Poloniae, antemurale Christianitatis existimatum, a Turcis occuparetur, mandat ei, ut nuntium (Lippomanum) et per nuntium summum pontificem ad credendum adducat celerem - adhuc ante proxime futura regni comitia factam - concessiōnem communionis sub utraque specie et linguae vernaculae in sacris permissionem, necnon abrogationem caelibatus ecclesiastici - usque ad futuri concilii generalis finalē decisionem - cum vitae cleri reformatiōne coniunctam, unicam viam et rationem esse, qua transitus nobilium ad factionem "protestantem" et extrema Poloniae pernicies vitari possint.*

**Cop. coaeva:** Milano, BA, ms. D 175 inf., f. 175r-180r (scriptum hoc fuit adiunctum litteris Lippomani ad Paulum IV, 21 VI 1556 datis, cfr. N. 100).

**Cop. XVI saec.:** Torino, AS, Racc. Mongardino, ms. 82 f. 337r-344v.

**Cop. XVII saec.:** AV, F. Borghese I 825-827 f. 79v-97v.

---

<sup>210</sup> Valkininkai (Pol. Wołkiniki, Olkieniki), 40 km meridionem versus a Vilna.

Instructio Ill.mi D.ni Comitis a Tarnovio

Praefata primum quam officiosissima salutatione studiisque ac officiis meis Rev.mae Dominationi suae quam accuratissime commendatis, haec nomine meo referet:

Quandoquidem rebus, ita ut videmus, constitutis negotiis Religionis in hac proxima adventante Regni conventione tractandum et discutiendum erit, summopere admittendum esse, ut omnia cum bona deliberatione, certo iudicio modoque et rationibus, quibus fieri posset, optime gerantur et praesumantur, ita ut ne forte, dum in ea corrigenda [175v] et ad pristinam normam reducenda laboratur, et Religio et Regnum ipsum una amittatur et pessundetur. Doctrinae enim illius recentioris contagium ita iam in omnes fere hominum status penetravisse, ut nulli sint hominum congressus, in quibus non aliqui inveniantur, qui eam sententiam mordicus retinent et tueri cupiunt. Dubio procul itaque futurum esse, ut quod si contra Nobilitatem aliquid tale in Senatu consultandum esset, quo iure adversum eos procederetur, ut temeritas aliquorum reprimatur<sup>211</sup>, reperiantur nonnulli, qui vel ea ratione existimationem et auctoritatem assistentiamque sibi apud Nobilitatem et vulgum comparare, aliis porro invidiam ac odium conciliare studeant. Unde quid aliud quam magna aliqua commitio et seditio sperari posse, sub ipso praesertim belli tempore (quod nulla sane ratione hic in Polonia evitari posse appareat, quin intra breve tempus necessario futurum sit) nihil aliud evenire, quam quod obfirmatis iam in mutuam perniciem animis aut mutua inter se caede desaeviretur, aut inita ab omnibus simul conspiratione ordo spiritualium impeteretur, ex quo similes tandem, vel maiores etiam clades et ruinae Reipublicae consequerentur, quam in ipsa Germania nostra iam memoria fieri vidimus, aut antea etiam in Bohemia aliisque Provinciis accidisse legimus.

Quicquid etenim concordi totius Senatus consensu, consilio mutuave omnium auctoritate decerneretur et constitueretur, ex eo nequaquam in unam aliquam personam odium et invidiam derivari posse, tantopere autem dissidentibus illorum animis, diversumque ab invicem sentientibus, fieri non posse, quin ab iis, qui novam illam doctrinam profitentur, odium Nobilitatis in Dominos spirituales et eos Senatores, qui veteres adhuc constitutiones retinent iisque ad[h]aerent, incitetur, ex quo magnum aliquod malum nascitum esse.

Tametsi namque nondum quidem Regnum totum in eundem errorem [176r] prolapsum sit, magnam tamen iam hominum partem eam doctrinam arreptam sequi, et timendum esse, ne intra paucos annos, nisi remedium aliquod adhibeatur, et reliqui ad eam sententiam pertrahantur. Quamvis et ita quidem, licet non omnes in eundem errorem prolapsi fuerint, nihil tamen un-

---

<sup>211</sup> Cfr. N. 100.

quam effici posse ap[p]areat, partis alterius hominibus obsistentibus et impudentibus omniaque dissidentibus. Quae res magnam paritura est et in Religione et in Republica confusionem et turbas multum periculosas. Iam vero Nuntios Terrarum, qui ad generalem Regni conventionem conventuri sunt, quorum magna est sane in Regno hoc auctoritas et existimatio, omnes fere novos istos Evangelicos futuros esse. Quorum si a partibus bona pars Senatus steterit, cum illisque in eandem sententiam consenserit, futurum esse, ut non tantum compositio aliqua speranda sit, sed magnus aliquis tumultus potius et rerum omnium confusio expectanda.

Operae precium itaque esse, ut Rev.ma Dominatio Sua de rebus iis sedulo conferat cum Rev.mo D.no Epo Veronensi, Nuncio Apostolico, quo is Beattissimo Patri haec significet et ab oculos proponat, causis et necessitatibus omnibus diligenter expositis, ut Sanctitas Sua, habita ratione status et periculorum Regni huius, aliam informationem pro futuro conventu mittat. In qua (quum sapientis est ratione potius quam vi rebus labentibus succurrere ac remedium parare velle) Sanctitas Sua aut alioquin secreto Nuntio suo committat eamque facultatem tribuat, quod si appareat omnino nulla alia ratione aut modo negotium Religionis in Regno hoc pacari posse, ut possit is nonnulla auctoritate Summi Pontificis concedere, quibus interim et ad tempus placari possint; non amplius etiam duratura, quam ad ipsius generalis universalisque Concilii decisionem<sup>212</sup>. Cuius generi[s] sunt: usus Communonis sub utraque specie, Coniugati, qui tamen non sint bigami et quibus iura canonica non prohibent, ut in hoc ordine sacerdotum reciperentur, Missa, ut lingua et idiomate nostro Sclavonicu hic apud nos celebrari possit, prout etiam in aliis plerisque locis celebrari solet. Quae [176v] omnia in primitiva etiam Ecclesia libera fuisse, cuius palam est et non ita ante nostram memoriam multo tempore. Bohemis totius generalis et Oecumenici Concilii Basiliensis assensu istius modi etiam nonnulla fuerunt concessa et admissa<sup>213</sup>. Plerumque enim concedendo non nihil facilius, quam resistendo hominum vincuntur animi et expugnantur. Cum praesertim per Sanctitatem Suam eae res sine offensione divina dispensari possint. Namque concessis iam istius generis nonnullis, caetera omnia eo facilius in pristinum statum et habitum restitui reducique et corrigi posse, quominus illis iustae iam suppetant querelarum causae; denique spem futuram et reliquos errores sectasque, quae disseminatae sunt, facilius cessaturas esse. Licet enim ipse quidem, quantum ad me ipsum attinet, nihil mea culpa innovari cupiam, qui iam pridem mihi persuaserim antiquum morem vel ad aras usque retinere, in eo tamen discrimine, mea sententia, illud tutissimum consultissimumque mihi videri

<sup>212</sup> Postulatum, ut nuntio a summo pontifice conferrentur plenae facultates "de negotio religionis tractandi iuxta conventus nostri recessum", Tarnowski protulit iam 6 XII 1555 in litteris ad vicecancelarium Ioannem Przerembski datis, qui ei nuntiavit Lippomanum "facultate habita nulla" Vilnam advenisse (ed. Alexander Przezdziecki, *Jagiellonki Polskie w XVI w.* [Mulieres ex stirpe Jagellonica Polonae saec. XVI], T. 4, Kraków 1868, p. 295).

<sup>213</sup> De hac concessione loquitur etiam Nicolaus Radziwiłł, vide supra, N. 112.

ad sedandos maiores etiam in Religione motus componendaque tanta discrimina, cum iam videamus novas illas opiniones in immensum excrevisse et ita radices egisse, ut vix ullo modo hominum mentibus evelli possint, et certum sit, nisi aliqua eorum a Beatissimo Patre concessa fuerint, quibus non-nihil utique placari possint et contentari hominum animi, nunquam sperandum esse, ut negotium Religionis in Regno hoc ullo alio modo vel ratione pacari possit. Cum praesertim compertum iam sit in nonnullis antea provinciis, nec armis, nec ullis quidem violentiis quicquam profici in eo negotio potuisse, et alias omnes conatus frustra fuisse tentatos.

Nihil itaque consultius tutiusque esse quam operam dare, ut ratione et prudentia quocumque tandem modo sedari possint, rebusque illis mederi et succurri queat, et curandum non oleum, quod aiunt, camino suffundatur, totaque tandem Respublica Christiana in extremum periculum perducatur. Quicquid enim unquam ea in re armis et violentia tentatum est, nihil aliud effectum et subsequutum est, quam cruentissimae caedes, maximae hominum clades et sanguinis effusiones. Et interim [177r] tamen haud quoque doctrinam illam eradicari potuisse.

Necessarium autem esse, ut ea omnia ad eum modum primo iam quoque tempore expediantur, parataque et impromptu habeantur ante ipsam adventantem hic Regni conventionem. Alioquin enim quod si alia ratione et via negotium aggredi conati fuerimus, et violentia aliqua eas res in meliorem modum reducere praesumpserimus, lusuros operam, nec aliud quicquam effecturos esse, quam magnam aliquam perturbationem et tumultum. Et (quod quidem non eveniat Deus prohibere velit) si denique contingat, rebus infectis et nulla concordia ac vel ex parte aliqua pacandae religionis spe conventionem dissolvi, tum demum errorem ipsum posteriorem priore longe peiorem deterioremque et magis nocivum futurum esse, ac loco denique compositionis futuram maximam rerum perturbationem. Tandemque ex iis rerum principiis et causis Regnum hoc nobilissimum, per dissensionem civilemque discordiam, ad excidium desolationemque (quod absit) et status sui rerumque omnium perturbationem deventurum. Ac postmodum hoc unum restare, ut a Turca, nominis et Religionis Christianae immanissimo atrocissimoque hoste, qui ex mutuis intestinisque Regnorum odiis atque dissensionibus occasionem rei bene gerendae captare solet, occupetur. Cum omnibus saeculis illud maxime probatum sit, Regna, Provincias, Respublicas et Principatus quosvis non facilius et minori negotio dissolvi et expugnari potuisse, quam intestinis ipsorum dissensionibus et dissidiis.

Ut autem ea in re Beatissimus Pater exorabilem se praestet et permovere possit, vel his similibusque rationibus merito id ipsum Sanctitati Suae persuaderi posse: Cogitandum esse diligentiusque expendendum quis finis, quae inde incomoda sequutura sint, quae quantave pericula immineantur, nisi auspiciis et auctoritate illius aliquid hic rebus in istis modo transactum et effectum fuerit. Nihil aliud profecto, quam cladem et ruinam Regni ipsius

expectandam. Quo collapso et amissio, cum utcunque retineri etiam non possit, id ipsum cum maximo totius Christianitatis incommodo et extremo periculo [177v] futurum vastitateque. Quod si porro vel unius hominis iactura tanti esse debet, ut ii, sub quorum potestate et regimine constitutus est, merito pro illius salute et incolumitate summa cura invigilare teneantur, illique periclitanti modis omnibus opem ferre, quid arbitrandum est, quanam cura, quonam studio vigilantiaque circa totius tam nobilis Regni salutem et incolumitatem laborandum est et admittendum, ut labenti succurratur? Neminem enim arbitrari debere ea cum solius tantum Regni huius periculo et incommodo futura, quin potius existimandum ex casu et amissione Regni huius magna pericula ad omnes Christianorum provincias, quae reliquae sunt, redundatura. Cum enim Regnum iam hoc solum, occupata a Turca Hungaria, supersit, tanquam propugnaculum quoddam occidentalis Europae, semperque fuerit tanquam vallum quoddam, inimicorum fidei Christianae incursibus oppositum, magnopere dubio procul calamitosum futurum esse toti Christianitati, si a tam potenti hoste Turca (quod absit) occupetur. Vel rationem enim ipsam satis id ostendere, quantum inde virium, quantae commoditates, quothe opportunitates Turcho [sic] sint accessurae, si eo potiretur. Aperiatur sane porta et accessus ad invadendas reliquas omnes Christianorum provincias, ita ut nulla iam ex parte nullum Regnum, nullave Regio aut locus denique ab illius insultu et invasione tutus esse possit. Sarmatia enim omni occupata, amplissima Provincia, in qua et Prussia et totum illud Septentrionalis Oceani littus, quod sinus Venedigus ab Historiographis nuncupatur<sup>214</sup>, continetur, totus ille Septentrionalis Oceanus, classe instructa et ordinata in illius potestatem facile deveniret ac redigeretur. Et ita, qui nunc in Mediteraneo tantum mari classe navalibusque copiis, quibus et Italianam et alias omnes Mediterranei maris littoribus adiacentes Provincias infestat, posset (ut potens est et nihil sibi difficile arbitratur), instructa altera in Oceano classe validissima et armata, nihil usque intactum et intentatum relinquere. Facileque tandem iis rationibus uno eodem tempore et terrestribus copiis depopulando omnia et totam utrinque Europam navalibus infestando, omnia Regna [178r] omnesque Christianorum Provincias in suam redigeret potestatem, Christianorum Principum viribus in tot tamque diversas partes scisis et distractis, ut nulla iam ex parte aequis cum illo viribus decertari possit et illi resisti. Non iam tuta esset Dania, Suecia, non Belgae, inferiorque tota Germania, non Gallia, Britania utraque et ipsa denique Hispania ab illius infestis armis secura essent. Nam quod quidem nunc cum Christianissimo Galliarum Rege foedus simulat et amicitiam quandam colere videtur<sup>215</sup>, nactus tantam oportunitatem totque rei bene gerendae occasiones, omnibus pariter, nemine excepto, infensus esset, cum constet eum non alia de causa

<sup>214</sup> Sinus Gedanensis, qui olim Venedicus (a gente Vendorum), auctore Ptolomaeo vocabatur.

<sup>215</sup> More maiorum traditum foedus regis Galliae cum Turcis saec. XVI manifestius apparuit communibus gestis Solimani I et Henrici II in mari Mediterraneo a. 1554 et 1555 (cfr. Clot, p. 411-412).

arma proferre bellaque gerere, nec alio animo et proposito, quam quod occupata residua etiam Europae parte, solus vel Mundi totius Dominium et Imperium obtainere cupiat, nec quemquam aemulum ferre velit, siquidem ambitioni et dominandi cupidini, si praesertim fortunatis rerum successibus extimulatur et in dies magis confirmatur, nullus unquam finis aut modus esse solet. Quod in hoc immanissimo hoste fieri experimur nostro malo et incommodo. Videmus enim, quantum e tantis rerum successibus, tam frequentibusque victoriis, quas fortuna, illi nunquam fere adversa, suggerit, Christianorumque Principum dissidentes inter se animi, civiliaque ipsorum bella fovent et maximopere nutriunt, illi accrescat et animi ambitionisque et virium potentiaeque Turcis et paganis omnibus ex professo, etiam Religionis suae ad armis propugnandam Religionem suam, alias vero impugnandas obligatis et obstrictis.

Quaenam itaque spes iam tum reliqua esse posset, Principes Christianos coniunctis viribus illi resistere posse illiusque insultus mutua communique opera ipsorum reprimere, cum non iam ab una parte, nec una ratione et modo, terra simul marique ab illo oppugnarentur et undequaque illorum vires distinerentur, ita ut etiam si maxime tandem cupiant sibi invicem auxilia ferre subsidioque esse non possint, qui ne nunc quidem idipsum ut faciant curant, quamvis nondum omnino incommode fieri possit, viribus illorum nondum neque adeo distractis, nec Turca etiam tantas opportunitates habente, quas ex occupato [178v] Regno Poloniae consequutur esse appareret.

Nam et si quidem in Germania, unde fere exemplum eius rei ad alios prodiit, eadem de re et Religionis controversia, magnos motus, magnas seditiones excitatas, magna cum effusione humani sanguinis et incommodo totius Christianae Reipublicae concertatum fuisse sciamus, ea tamen omnia pericula et incommoda exigua esse censenda, si cum his conferantur, quae in Regno hoc, nisi negotium Religionis pacatum fuerit, consequutura sunt. Germania sic affecta et tumultuante, mutuis tantum inter se et civilibus armis concutiebatur et labefactabatur, nec ab externo interim hoste ullum neque adeo periculum illi imminebat et timendum erat, qui longius utique adhuc ab ea abasset, quam ut illam interea sic affectam invadere posset.

In Regno autem hoc longe cum maioribus periculis eventura esse omnia, cui praeter internos tumultus civiliaque si accident bellum, hostis acerrimus, qui plane iam cervicibus ipsis imminet, metuendus est. Nec is quidem solus, omnibus enim fere ex partibus Polonia hostibus externis saepa et circumfusa est, qui omnes uno consensu in perniciem ipsius conspiraverunt, nec aliud quicquam expectare videmur, quam ut civilibus intra se occupata armis, opportunam invadendi commoditatem illis praebeat et iustas resistenti vires amittat. Praeter enim Turcam illum, qui omnibus, Deo sic permittere, magnum incutit terrorem, habet Polonia alios hostes suos peculiares, quibus cum assidue fere bella gerendo, eos a caeteris Christianorum finibus

removebat et arcebat, ut sunt Walachus sive Moldavus, Scithiae omnes gentes<sup>216</sup> Moscusque, quibus omnibus nonnisi per medium Polonię accessus in alias Christianorum Provincias patet. Qui etiam omni dubio procul, Polonia semel occupata, nequaquam intra eius fines se continebunt, sed ulterius ad vastandas omnes reliquas Christianorum Provincias, tanquam aperta porta ruent. Quod nemo quidem temere et sine causa timendum esse putabit, cui compertum est, quo nam aliquoties paulo ante prioribus saeculis Scitharum arma, duce praesertim Attila, penetraverunt, et quam non exigua clade omnes fere Europeas [179r] affecerunt regiones, Italiam vero in primis.

Corrueret itaque sine dubio omnis status Reipublicae Christianae et extrema omnibus pericula imminerent, quam primum Sarmatia occuparetur et in illius potestatem redacta esset. Inde et tanquam ostium quoddam et via in omnem reliquam Europam illi pateret, multaeque opportunitates accederent, et, quamvis non uno eodemque temporis momento, paulatim tamen omnes Christianorum Provinciae occupari possent. Nihil enim tam firmum, tam potens et stabile est in mundo, quod non viribus disiunctis et dissolutis atque distractis, facile paulatim succumberet et collaboretur. Cuius rei multa passim in historiis extant exempla, et ab ipso quoque Turca magna imperia, validissimas gentes potentissimosque Principatus esse iam subactos, quis est qui nesciat?

Quod si eveniat, cum ipsius etiam Sanctae Sedis Apostolicae damno et incommodo maximo futurum esse. Quae quidem et ipsa, aliis membris debilitatis, aliis vero avulsis et resecatis, diutius in suo statu et forma permanere haudquaquam posset, cum nemo superfuturus sit postmodum cui praesit, aut qui ab ipsius auctoritate dependeat. Ac ipsum quoque Beatissimum Patrem, rebus et Republica Christianorum ad eum modum dilabente paulatim ac ruente, amissurum haud dubie omnem auctoritatem dignitatemque suam, necnon et omnia commoda, quae ex tot Regnis et Provinciis percipiebat, ac nec coram Deo eius facti excusabilem futurum, si cum utique quocumque tandem modo possit tantis totque periculis succurrere, negligat aut nolit.

Nec esse, quod quispiam arbitretur vel propterea Beatissimum Patrem istius modi aliqua concedere aut moderari minime debere, quodquam primum aliquid Regno huic auctoritate ipsius concederetur, et aliqua in alium modum redacta forent, iam mox necesse esset et aliis omnibus Provinciis eadem concedere, cum temporum et periculorum imminentium sit maior habenda quam consuetudinis antiquae ratio, et appareat nullis aliis rationibus tutius posse Religionem [179v] pacari, quam ea ipsa. Errare etiam eos, qui satius esse sentiunt, ut aliquae Christianorum Provinciae funditus evertantur potius et intereant, quam quicquam de antiqua consuetudine vel ad un-

---

<sup>216</sup> Tartari.

guem latum remitti et immutari debeat, potiusque censem coelum terrae permiscendum, quam tale aliquid admittendum.

In disputationibus quidem nullam esse spem reponendam, quamvis nec id ipsum omnino sit negligendum. Nam in Germania, et aliquanto superioribus temporibus in Bohemia etiam, id frustra multoties tentatum fuisse constat, importunis hominum animis, nihil sibi persuaderi patientibus nec admittentibus, si a conceptis opinionibus avelli. Unam itaque tantum eam rationem restare pacandae in Regno hoc Religionis, si, ut superius dictum est, nonnulla id genus admittantur et concedantur, ac Clerici in disciplina severiore contineantur ad pristinamque vitae innocentia[m], scandalis sublatis, redea[n]t, ita ut saecularibus melioris vitae exemplar propositum sit. Quod certe vel ipsum adeo magnum momentum in negotio Religionis pacandae habet, ut sine eo nulla doctrina, nullas administrationes, nullave argumenta, quantumvis valida, quicquam ponderis sint habitura; nec unquam odia saecularium adversus spirituales, nisi sublatis eorum scandalis, cessatura sint.

Admissis vero et concessis in Regno hoc istius modi nonnullis, futurum esse, ut Regia etiam Maiestas iustum iam legitimamque deinceps habeat causam, sine gravi etiam Regnicolarum exacerbatione, eos coercendi et legibus adversum tales procedendi, cum executione etiam iustarum poenarum, quicumque ulterius aliquid, quam illis concessum esset, presumere suasse tantum opiniones ad perturbandam mutuam concordiam, omnium et Regni tranquillitatem tueri auderent, nec cum aliis in iisdem rebus consentire vellent, dummodo prius nonnulla corrigerentur, et quae iuste ab illis postulari videri possunt, eis concedantur, ita ut ne iuste et merito conqueri possint, se per [180r] vim et violentiam a recta via et doctrina Evangelica, quam Dei beneficio, ut ipsi putant, nacti essent, abstrahi et avelli. Et quod si offenderentur nonnulli, pauci tamen essent, nec iam auctoritatem haberent, ut possent turbas alias in Republica excitare.

Quibus omnibus ita, ut par est, et non Regni tantum huius, sed totius Christianae Reipublicae periculorum ratio exposcit, expensis et diiudicatis, rogabit Rev.mum D.num Archiepiscopum, ut sedulo et quanta fieri poterit maxima cura et diligentia, de rebus illis singulis tractet cum Rev.mo D.no Veronensi Episcopo, Nuntio Apostolico, illique persuadeat, ut suas etiam partes is apud Beatissimum Patrem interponat et declarare studeat, adventum ipsius Regno huic non omnino inutilem futurum, id ipsumque sedulo agere apud Sanctitatem Suam, ut Sanctitas Sua ita, ut merito debet, quantum fieri potest, aut quacumque tandem ratione, dummodo fieri istud posse spes aliqua adhuc est, rebus illis succurrere velit, ita ut bonis rationibus et modis, sublatis quantum fieri poterit illis dissensionum causis atque odiorum, tumultus, bella, seditiones, reliquaque omnia mala, incommoda et pericula evitari possint, nec Respublica Christiana in tam evidens et horrendum periculum illius occasione coniiciatur. Quicunque enim, dum potest, pereunti cu[i]piam non succurrit et opitulatur, in illum iam causa istius exitii recidit,

et merito illi adscribi potest. Pacatis enim utcunque tandem hic rebus, et mutuorum atque intestinorum odiorum causis sublatis, tranquillisque domi rebus, spem utique esse Poloniam, auxiliante Deo, aliis Christianorum Principibus subsidia et auxiliares manus ferentibus, hostibus resistere posse, et Turcam etiam ipsum, favente Deo, a finibus Christianorum arceri posse.

In quibus tamen omnibus, sicut et in aliis rebus, me meliori sententiae et iudicio Rev.mae Dominationis Suae, tanquam primarii Senatoris Regni, cedere, et quod si quid melius etiam ac consultius Rev.mae Dominationi Suae visum fuerit, ipsi libenter subscribere meumque adiicere calculum.

#### A. 24.

**Sigismundus Augustus, rex Poloniae  
Stanislao Borek, capitaneo Sochaczewiensi**

Mejszagolae, 8 VI 1556.

*Dorothea Łazęcka et Iudeo Bieniasz in rogo combustis, Iosepho autem, Socha et Iacobo in carcerem coniectis, iubet, ut - propter querelas reliquorum Iudeorum Sochaczewiensium - omnis actio contra eos interrumpatur bonaque ablata eis restituantur, donec causa a commissariis ad hoc consulto a se designatis examinetur ac dirimatur.*

**Cop. coaeva:** Milano, BA, ms. D. 175 inf., f. 180v (scriptum hoc transmissum erat Romam una cum litteris Lippomani ad Paulum IV, 21 VI 1556 datis, cfr. N. 100).

**Cop. XVI saec.:** Roma, APUG, ms. 588 f. 194v-195v.

- Ed.: Rykaczewski I, p. 61-62.

**Cop. XVI saec.:** Torino, AS, Racc. Mongardino, ms. 82 f. 334v-335r.

**Cop. XVII saec.:** Venezia, BM, Ms. It. V 16 (5668) f. 326r-v.

**Cop. XVII saec.:** AV, F.Borghese I 825-827 f. 72v-74r.

#### Copia del mandato ultimo del Re in favor dellì Giudei

Sigismundus Augustus, Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae etc., Generoso Stanislao Borek, Tribuno et Capitaneo Sochaczoviensi, fidelis nobis dilecto, in absentia eius Vicecapitaneo, gratiam nostram regiam.

Generose fidelis dilecte. Capta fuit quaedam mulier in Sochaczow, quae in tormentis confessa est Sacrosanctum Corpus Domini certis Iudaeis vendi-

disse, ex quibus quatuor capti. Unus ex eis hoc idem in tormentis confessus est, propter quod execrandum scelus igni crematus est. Relicti sunt tres, videlicet Iosephus, Socha et Iacobus de Sochaczow, qui adhuc in vinculis tenentur<sup>217</sup>. Plerique vero proclamati facinoris consci, fugam arripuerunt. Nunc autem venientes ad nos certi Iudei, querentes exposuerunt ista omnia contra eos ex odio et invidia agi. Nos vero, ut hoc scelus impunitum relinquere, ita quandiu hoc genus hominum in Regno nostro toleratur, praeter eorum culpam opprimi nollemus, Commissarios deputare constituimus deputaturique sumus, qui exactam inquisitionem, tam de processu contra eos, quam de tota re facient.

Interea vero volumus et mandamus Fidelitati tuae, ut nullam animadversionem in eos, qui aufugerunt, faciat, sed si in domos suas redierint, domos bonaque ipsorum restituat, eosque libere manere sinat. Quod si quos, praeter eos qui ex prima proclamatione mulieris proclamati sunt, ceperit, volumus, ut eos libere dimittat, accepta fideiussoria cautione a Iudeis sub poena capitali de eis sistendis in iudicio, quando necesse fuerit. Secus pro gratia nostra ex officio suo non factura. Datum in Missogola, VIII mensis Iunii, Anno Domini MDLVI, Regni nostri XXVIII.

Ad mandatum Sacrae Regiae Maiestatis proprium.

#### A. 25.

**Ioannes Drohojowski, epus Vladislaviensis  
Paulo IV, pontifici maximo**

Niesułków, 20 VI 1556.

*Ad breve obiurgatorium sibi missum respondens, declarat Andream Fricium Modrzewski in ministris suis non esse et non suo, sed regis iussu, in comitatu reginulam (Sophiam) deducente secum in Germaniam profectum fuisse. Memorat eum tamquam secretarium regium etiam legationibus Stanislai Łaski ad imperatorem (Carolum V) et ducem Prussiae (Albertum) ac legationi Stanisali Hosii ad imperatorem et regem Ferdinandum interfuisse; sua etiam ipsius ad Concilium Tridentinum legationis secretarium designatum esse. Significat Fricium in novissimo suo in Germaniam facto itinere sibi propter adversam valetudinem valde necessarium fuisse. Suam orthodoxam fidem catholica-  
cam extra omne dubium collocat.*

---

<sup>217</sup> Vide supra, A. 22.

- Cop. coaeva:** Milano, BA, ms. D 175 inf., f. 151v-152v (non accessibilis).  
**Cop. XVI saec.:** Roma, APUG, ms. 588 f. 133v-137r.  
**Cop. XVI saec.:** Torino, AS, Racc. Mongardino, ms. 82 f. 308r-309v.  
**Cop. XVII saec.:** BV, Barb.Lat. 851 f. 276v-280r (copia valde mendosa).  
- **Ed.:** Rykaczewski I, p. 27-29.

Ss.mo ac Beatissimo Patri et Domino, D.no Paulo IV<sup>o</sup>,  
Divina favente clementia Sacrosanctae Romanae et Universalis Ecclesiae  
Pontifici Maximo, Domino Clementissimo etc.

Ss.me ac Beatissime Pater, *etc.* Literas Beatitudinis V.rae paternas et amantissime ad me scriptas exosculatus sum et legi [134r] libentissime<sup>217</sup>, etsi enim reprehendi me a Sanctitate V.ra animadverti, tamen quaecumque emendandi nostri causa dicuntur fiuntve, ea animo gratissimo accipi par est, praesertim si ab eo fiant, qui curam universae per Orbem Ecclesiae suscepit ac substineat. At de ipsa quidem mei reprehensione apud ipsam Sanctitatem V.ram necessario aliquid mihi dicendum est, ne si taceam culpam agnoscerre videar. Non enim puto Sanctitatem V.ram aures delatoribus meis ita accommodasse, ut non easdem mihi sit apertura ac tandem iudicatura an in re, cuius accusor, haereat crimen ullum.

Intellexi autem ex Nuntio apud nos Sanctitatis V.rae, Rev.mo D.no Episcopo Veronensi, rem totam esse de Andrea Fricio, qui librum de Ecclesia haereticum, a me quidem visum, sed [134v] non lectum, ediderit<sup>218</sup>. De quo ego homine nihil prope in praesentia dicam, nisi quantum ab eo aliquid in me damnandum redundare possit. Sic igitur habeat Sanctitas V.ra: Fricium quidem Volboriae, quod oppidum est meum, morari, sed moratur in Advocacia et bonis, quae illi in haereditate obvenerunt et qui iuri Polonico et caeterorum equitum subsunt moribus nostris. Caeterum ipse Fricius pensionem a me nullam habet, nihil ei unquam numeravi, nec est in ministris meis, nec ulla negotia aut itinera mea causa solet obire. Verum quidem est, cum proximo mense Februario, iussu Sacrae Maiestatis Regiae, Domini mei, ad Ducem Brunsvicensem uxorem Regis sororem deducerem, Fricium mecum fuisse, sed non meo iussu mecum profectus erat, sed Regis<sup>219</sup>, cuius [135r] nomine legatione illa fungebar. Hoc vero novum non est, ut Fricius proficiscatur in negotiis eiusmodi, quoties Rex iubet, cuius est Minister et Secretarius.

Et quoniam intellexi hoc mihi iter, ad quod a Rege adjunctus fuerat, in primis vitio dari<sup>220</sup>, velim mihi Sanctitas V.ra veniam det, si plus de eo dixe-

<sup>217</sup> Breve non conservatum , cfr. N. 93.

<sup>218</sup> Cfr. supra, A. 18.

<sup>219</sup> Quod ipse Fricius confirmat in litteris, quas ad Paulum IV scripsit, postquam cognoverat obiectiones, quae sibi in processu movebantur, et postquam Drohojowski propterea illum a se amoverat. Cfr. Kumaniecki III, p. 195.

<sup>220</sup> Vide A. 18. Haec obiectio in interrogazione nr 9 continetur.

ro. Missus erat olim Fricius cum Palatino Siradiensi, Stanislaw Laski, iam mortuo, tum ad Caesarem Christianum, tum ad Ducem Prussiae<sup>221</sup>. Deinde, cum Rev.mo D.no Stanislaw Hosio, Episcopo Varmiensi, tum ad Caesarem, tum ad Regem Ferdinandum<sup>222</sup>. Post, cum Oratores ad Concilium Tridentinum (inter quos et ego eram) designati essent, iussus erat a Rege cum eis ire<sup>223</sup>. Tum denique missus erat mecum, unacum Regis Sorore, ut eius Cancellerium [135v] ageret<sup>224</sup> et ministeria obiret, quae necessaria essent. Inter ea eundem mihi operam navasse in rebus Reginulae. Non nego certe in iis, quae mihi communia erant cum illo, eius opera necessario mihi utendum fuit. Ut autem intelligat Sanctitas V.ra rem liquidius, sub tempus profectio- nis meae Fricius mecum non erat. Cracoviae tum manebat, valetudini, ut ipse narrabat, operam dando. Inde literis Regiis evocatus est. Et quoniam iter mihi sine ulla procrastinatione ineundum erat, expectare non potui Fricium. Ipse tamen, cum nec opinante se ad hoc iter extrusum se esse di- ceret, tertio aut quarto die me consecutus est. Haec fortasse longius expono, quam ut decet apud Sanctitatem V.ram, sed eo omnia a me dicta sunt, ne intelligat Sanctitas V.ra non ita mihi addictum [136r] esse Fricium, ut per eum aliquid negotiorum meorum gesserim, meque ita iter illud ingressum fuisse, ut eius adventum prorsus desperarem, et ipsi illam profectionem insperanti omnino et invito, ut dicebat, obtrusam fuisse. De Fricio plus quam satis. Plura tamen de eo apud Nuncium Sanctitatis V.rae dixi.

Quid igitur hoc est vitii, Pater Sanctissime, si quem Rex mihi, cuius to- tum illud negotium erat, adiungit, eum me in comitatu habere necesse sit, cum, quod Oratoribus aliis Regiis vitio datum non est, hoc mihi vitio datur? Certe cum Fricio causa Religionis nulla a me tractata est, nulli sermones communicati de haeresibus. Legatio a me obibatur et anni tempore incommodissimo et via ineptissima et valetudine infirmissima, cum podagra, quae me praeter spem iter iam iam ingredientem [136v] arripuerat, domo disces- si, cum podagra totum illud iter peregi, plus cum chyrurgis mihi negotii fue- rat, quam cum ullo alio. Quam ob causam et Fricius valde tum mihi fuerat necessarius, ut si quid durius forte tunc mihi accidisset, multa enim solent evenire, valetudinarii esset, qui mecum vicem impleret. Caetera spero des- critbit Sanctitati V.rae Rev.mus D.nus Veronensis.

<sup>221</sup> Modrzewski, hac data occasione secretarius regius nominatus, legationi Stanislai Łaski ad Carolum V et ad comitia Imperii Augustana a. 1547-1548 celebrata interfuit, ad perorandam abrogationem banni imperialis, quo dux Prussiae Albertus Imperio proscriptus erat. Legatione illa expleta, Fricius tandem solus iussu Sigismundi Augusti se in Prussiam contulit, ut ducem Albertum de exitu missionis suaed edoceret (vide Kot AFM, p. 80-85).

<sup>222</sup> Etiam legationis Stanislai Hosii, tunc epi Culmensis nominati (nam ad sedem Varmensem non prius quam a. 1551 evictus erat), ad regem Ferdinandum Pragam a. 1549 et inde ad Imperatorem Carolum V in Inferiorem Germaniam, unde ineunte a. 1550 rursus Vindobonam ad regem Ferdinandum re- verterunt, Fricius tamquam secretarius regius particeps fuit (ibidem, p. 86-95).

<sup>223</sup> Sermo est de Fricio secundae legationis a. 1552 ad Concilium Tridentinum missae secretario nominato (vide supra, notam 130).

<sup>224</sup> Res reapse se ita habuit, cfr. Pirożyński, p. 38.

Quod extremum est, Sanctitatem V.ram etiam atque etiam supplex rogo, ut de me sibi persuadeat, quod de Episcopo et viro Catholico dignum est. Fortasse in meo officio cesso, quod mihi commune video esse cum caeteris Coepiscopis, verum Sinagogas haereticorum nec fovi nec foveo, nec mihi societas est ulla cum aliquo eorum, nisi fortasse in hac negotiorum civilium, ut in una re publica fieri necesse est, communicatione. Sed nec [137r] mores illorum probavi, nec ceremonias accessi, nec doctrinam professus sum; omnes vero, quando occasio datur, hortor, ut unitati Ecclesiae studeant, nec quid novent aut novari sinant; si quid desiderent in ritibus, id potius a Concilii Oecumenici definitione expectent, quam privatorum aliquorum auctoritate recipiant.

De munere meo in ecclesiastica administratione nescio, an quid me loqui necesse sit. Omnes certe sciunt ita me in eo versari, ut receptum est in Ecclesia Romana et in hoc consessu Coepiscoporum Provincialium omnium Saromaticorum. Cupio Sanctitatem V.ram pro salute Ecclesiae Catholicae esse incolumitate diutissima et foelicissima. Datum Niessulkowy, die XX<sup>a</sup> Iunii 1556.

Sanctitatis V.rae humillimus servitor

Io[annes] Wladislawiensis et Pomeraniae Episcopus indignus

## A. 26.

**Nicolaus Dzierzgowski, aepus Gnesnensis  
card. Alexandro Farnese, protectori Poloniae**

Lovicii, 21 VI 1556.

*Cum nuntius apostolicus nullam hactenus summi pontificis resolutionem habuerit ad quaestiones, ante menses aliquot per missum suum propositas, ad praesentem et futuram Ecclesiae in Polonia condicionem spectantes, rogat, ut talem resolutionem adhuc ante proxime futura regni comitia, ad mensem Septembrem indicta, impetrare nitatur.*

**Or.:** Parma, AS, Carte Farnesiane, ms. 119 (Polonia) f. 59r. In f. 59v inscriptio et summarium.

**- Ed.:** Meysztowicz-Wyhowska I, p. 56-57.

Rev.me in Christo Pater, D.ne D.ne Observandissime.

Salutem plurimam cum omni foelicitate coniunctam cupidissimamque benemerendi voluntatem Rev.mae Dominationi V.rae defero. In hac perturbatione Religionis Catholicae summaque incolarum Regni nostri licentia non aliud hoc tempore occurrebat se mihi ad scribendum Rev.mae Paternitati Vestrae, quam quod una cum Rev.mo D.no Episcopo Veronensi, Nunctio [sic] Apostolico, nullas vias nullasque rationes praetermittimus, quo rebus fidei christiana, in Regno nostro iam inclinatis, opportunis remedii subvenire possimus. Sed hanc Rev.mi D.ni Episcopi Veronensis et meam etiam sollicitudinem non parum illud retardat, quod Ss.mus Dominus Noster in illis necessariis materiis nullam hucusque dederit resolutionem, super quibus idem Rev.mus Dominus Episcopus Veronensis per Nunctium et per litteras suas Suae Sanctitatis mentem et voluntatem ab aliquot mensibus perquisivit<sup>226</sup>. Quare Rev.ma Paternitas V.ra pro eo amore et studio, quo huius Regni rebus prospicere semper consuevit, apud Suam Sanctitatem efficiat rogo, quo in eiusmodi negotiis, ad conservandum statum Religionis Catholicae Regni nostri necessariis, mentem suam Rev.mo D.no Nunctio suo quamprimum significet, ut pro futuris Comitiis Regni, in mense, ni fallor, Septembri celebrandis, in quibus de summa Religionis adversarii fidei catholicae decertare contendunt, parati et instructi undequaque esse possimus. Quod superest, Rev.mam Paternitatem V.ram diutissime sospitem atque incolumem valere cupio. Cuius amori et benevolentiae me meaque omnia diligentissime commendando. Lovitii, XXI Iunii, Anno Domini MDLVI.

Rev.mae Paternitatis V.rae

servitor obsequentissimus  
Nicolaus Archiepiscopus Gnesnensis

#### A. 27.

**Ignotus**

[Nicolao Dzierzgowski, aepo Gnesnensi]

Vilnae, 20 VII 1556.

*Nuntiat de arce Kokenhusen in Livonia a magistro Ensiferorum expugnata et aepo Rigensi Gulielmo in custodiam coniecto et de bello contra Ordinem Livoniensem parato. Significat etiam (falsum) rumorem de morte eiusdem aepi Gulielmi.*

---

<sup>226</sup> Agitur procul dubio de missione auditoris nuntii, Iacobi Livrieri, vide N. 56.

**Cop.coaeva:** BV, Barb.Lat. 5805 f. 103r (ex cancellaria Lippomani, litteris ad Ioannem Carafa 4 VIII 1556 datis annexa et cum eis transmissa, vide N. 108).

Ex literis Vilna allatis<sup>227</sup> diei XX Iulii M.D.LVI

Novi hic apud nos nihil est, praeter motus Livonicos. qui ne nos hic diutius detineant metuimus, res enim ad arma spectare videtur. Nam Magister Rev.mum D.num Archiepiscopum Rigensem, quem in Arce Kokenhausen ob-sederat<sup>228</sup>, Arce per proditionem potita, cepit, et in Arcem quandam Moscho-viae finitimatam sub custodia asservandum misit, qui et cliens et consobrinus Regiae Maiestatis est. Iamque Lithuani in armis sunt. Ill.mus quoque Domi-nus in Prussia Dux<sup>229</sup> suos in armis habet. Nec Livones imparati esse dicun-tur. Sunt hic eorum Legati, sed nihil de dimittendo D.no Archiepiscopo trac-tare volunt, nec ullam libertatis eius mentionem faciunt, ita ut bellum sibi ultro accersere videantur. Quod Regia Maiestas non prius aggredi vellet, quam prius omnia consiliis experiatur. Est etiam Regia Maiestas in ea sen-tentia, ut Warsoviam ad diem constitutam<sup>230</sup> adsit, venationibus et aliis subsistendi locis omissis.

Post scripta: Sciat Paternitas V.ra Rev.ma Rev.mum D.num Archiepi-scopum Rigensem mortuum iam esse in vinculis<sup>231</sup>, cuius mortem dolenter fert Maiestas Regia.

## A. 28.

### Falsa epistula ad Petrum Contarini Aloisio Lippomano attributa

Lovicii, 21-22 VII 1556.

*Ob antiquam amicitiam et auctoritatem, qua Contarini apud papam pol-let, rogit, ut revocationem suam ex Polonia impetrare conetur. De litteris suis ad palatinum Vilnensem (Radziwiłł) datis et de eius responsione, Martino Lutheru digna, eum certiorem facit. Timet, ne typis imprimatur et divulgetur. Declarat*

<sup>227</sup> Hae litterae sine dubio aepo Nicolao Dziergowski destinatae fuerunt, quod demonstrant vel ipsi tituli in eis adhibiti; autores vero earum vicecancellarius Ioannes Przerembski, aut secretarii regii Adamus Konarski vel Martinus Cromerus fuisse videntur.

<sup>228</sup> De bello magni ordinis Livoniensis magistri, Henrici a Galen, eiusque coadiutoris, Gulielmi a Fürstenberg, cum aepo Rigensi Gulielmo gesto cfr. N. 103 et 108.

<sup>229</sup> Albertus, frater Gulielmi.

<sup>230</sup> Id est ad diem 14 Septembris, cfr. N. 100 et 103.

<sup>231</sup> Falsus rumor, vide N. 110.

*verum esse, quod sibi a palatino obiciatur, se - cum a. 1548 munere nuntii in Germania fungeretur - apud imperatorem Carolum V institisse, ut - in terrorem aliorum - Ioannes Fridericus elector Saxoniae et Philippus landgravius Hassiae capite plecterentur; similiter recenti tempore a rege Poloniae postulasse, ut eodem modo 8-10 praecipuos haereticorum duces in Polonia puniri iuberet. Metuit, ne - cum rumor de hoc facto spargeretur - odium in se et summum pontificem augeatur eo vel magis, quod card. Carafa sibi mandaverit, ut concilii nationalis propositum debellaret concilium generale promittendo, et quod Tridenti adversari visus sit, ut Lutherani in concilio exaudirentur. Implorat ergo eum, ut una cum fratribus Francisco et Paulo a papa impetraret, ut ipse revocetur, neque successor suus in Poloniā mittatur, qui nihil ibi perficere possit, sicut et ipse impedire non potuerit, quominus comitia indicarentur, in quibus haereticī theologos ex Germania et Helvetia invitaverint, ut ea in concilium nationale commutarent. In prima annotatione postscripta annuntiat synodi Petricoviae convocationem pecuniae ad reprimendos haereticos et peragendam vitae cleri correctionem colligendae causa; in altera refert de litteris Venetiis sibi allatis, in quibus sibi scribitur Venetos opera sua in Polonia impensa male contentos esse.*

**Epistula Latine exarata, cum dato 21-22 VII 1556 (prior et amplior, non divulgata):**

**Cop. coaeva:** Kraków, BJ, ms. 175 I, p. 42-46 (alia manu in copiarium cancellariae regiae relata).

**Versio Italica, antedatata 8 IV 1556 (sine secundo postscripto, posterior, divulgata):**

**Cop. coaeva:** Milano, BA, ms. D 175 inf., f. 159r-161v ("Copia d'una lettera che gli heretici fingono che habbia scritta il Vescovo di Verona, nuntio etc").

**Cop. XVI saec.:** Roma, APUG, ms. 588 f. 117r-125v ("Copia d'una lettera di Mons. Lippomano etc. al Clar.mo Messer Pietro Contarini a Roma").

**Cop. XVI saec.:** Torino, AS, Racc. Mongardino, ms. 82 f. 300v-304v.

**Cop. XVII saec.:** BV, Barb.Lat. 851 f. 261r-269r.

- Ed.: Rykaczewski I, p. 13-19 (versio Polona).

**Cop. XVII saec.:** Venezia, BM, Ms. Ital. V 16 (5668) f. 279v-284v.

**Cop. XVII saec.:** AV, F.Borghese I 163-169 f. 72r-80r.

Ad Clarissimum Dominum Contarenum<sup>232</sup>

Clarissime Domine. Ab eo tempore, quo Deus (ut me affligeret) ad obeundum munus hoc Polonicum me destinavit, saepe meos cruciatus dolores varius per literas Magnificentiae tuae significavi, quae communis patriae vete-

<sup>232</sup> Petrus Contarini (1493-1563), patricius Venetus, amicus Ioannis Matthaei Giberti, Ioannis Petri Carafa (postea pontificis maximi Pauli IV) et s. Ignatii de Loyola. A. 1557 ordinem presbyteratus suscepit et epus Paphiensis a Paulo IV nominatus est.

risque amicitiae nostrae nomine ac pro sua bonitate sese mihi patrem ac fautorem praebere dignata est. Precor autem, ut me sua authoritate favere velit (qua plurimum apud Ss. Iustum et Prudentem Dominum Nostrum pollet), quo ex hoc inferno emergere ac Romam, vel ut ad gregem meum, redire possim. At leves sunt praeteriti mei dolores, si cum iis conferantur, quorum gravi mole prope modum opprimor, quo fit, ut eos recitare cogar, nempe ut illorum sensu tacta Magnificentia tua meae tandem sortis misereatur nihilque non tentet, ut quam primum hinc revocer, cuius rei gratia iunctis eam manibus supplex obsecro.

Novos igitur dolores meos hinc narrare aggredior. D. nus Nicolaus Radzevilus, ut primi absque controversia inter omnes Poloniae Proceres nominis atque authoritatis est, ita inter caeteros Lutheranorum causae in primis [43] favet atque patrocinatur. Quod utinam secus foret. Ego vero, qui natura certoque iudicio ita sum paratus, ut non possim, non possim, inquam, Comitia tolerare, quibus Ss. Iustum et Prudentem Apostolicam Romanam proscindi atque lacerari quotidie video, pudore reposito, literas ex genii mei voto ad eundem Dominum dare constitui, eumque sine ullo respectu praecipere. Verum, ut fumum rei adderem, finxi me ipsius nomine a quodam D. no Adamo Konarski, Regiae Maiestatis Secretario, salutatum verbisque summae benevolentiae plenis salutatum, sumpta hinc occasione literas meas totis ingenii viribus adornavi, additis quos potui aequuleis [sic], ut efficaciores et vehementiores essent, eas misi XXI Februarii die, ex Lovicio, Arce Gnesnensis Archiepiscopi, ubi nunc etiam ago. Summa literarum haec fuit: Domino illi Palatino significabam passim in toto Regno et apud exterias gentes famam esse Magnificentiam suam omnibus Lutheranorum erroribus assentiri (eos sane singillatim enarrare mihi difficile non fuit). Hortabar denique, ut ab haereticis illis opinionibus discederet, alioquin diram sibi caelitus ultionem immovere. Atque obiter in omnes Lutheranos eorumque facta invectus sum, scribendo quidquid atrox mihi dictabat odium, quo illos prosequor<sup>233</sup>. Nullum enim sceleris genus est, quod de istis nebulonibus dici non possit.

D. nus Palatinus, qui lectis meis literis, legitimis testimoniis ac veterum auctoritate comprobatis, istorum factioni renuntiare debuerat, mihi responsum dedit, Carissime D. ne Petre, quod ipse Martinus Lutherus nunquam dedisset, non dico mei simili, qui Minister sum ac Nuncius (licet indignus) Sanctissimi Domini Nostri, Sacratissimae etiam Sedis Romanae, sed ne cuvis e plebecula vilissimo, abiectissimo atque infelicissimo. Responsi quidem huius exemplar ad Magnificentiam tuam mitterem, sed (ut verum fatear) non sine magno cum dedecore nostro legi potest, ideo plurimum vereor ac metuo, ne aliunde typis excusa et forte in varias linguas conversa in vulgus prodeat, quod utinam absit. Non me fugit Haereticorum consuetudo<sup>234</sup>.

<sup>233</sup> De argumentis, quae revera in litteris ad Radzivili tractabantur, vide in N. 81.

<sup>234</sup> Vide istam epistulam non solum typis excusam, sed etiam partim ab ipso Lippomano transcriptam et Romam missam in N. 112.

Iam pergo ad reliqua. Anno 1548, cum essem collega datus Reverendissimo tunc Episcopo Fanensi, iam bene merito Cardinali<sup>235</sup>, ac Rev.mo piae memoriae Ferentino, Nuncio et Legato in Germania<sup>236</sup>, ut post Caesaris victoriā aduersus Protestantes Principes et populi ab erroribus revocarentur et Apostolicae oboedientiae reconciliarentur (is erat Legationis titulus, quamvis parum feliciter nobis successit ac pauci admodum reconciliati sint)<sup>237</sup>, quo tempore Caesar captivos tenebat Ioannem Fridericum, Saxoniae Ducem [44] Electorem, et Philippum, Hessiae Landtgravium<sup>238</sup>, ego ac mei Collegae Rev.mi, tanquam obsequentes filii (sic enim nobis iniunctum erat) consilium Caesari ac Ser.mo Romanorum Regi<sup>239</sup> dedimus, ut palam capite plectendos iuberent duos illos Prinicipes, velut Duces ac fautores Haereticorum; futurum hoc pacto, ut terrore isto omnibus tandem haeresibus in Germania finis imponeretur. Assentiri noluerunt eorum Maiestates, neque huiusmodi consilium amplecti<sup>240</sup>. Hinc factum, ut Sedis Apostolicae res in ea regione, utcumque se habuerint, hoc est in peius semper ruerint, quas deinceps in multo peiore statu fore credo.

Porro cum simul provincia mihi a Paulo III demandata esset, saepius huic Ser.mo Regi consilium dedi simile, ut octo aut decem viros capite plecti iubeat, qui inter caeteros Lutheranismum in Polonia passim suscitant. Hanc enim veram esse viam, qua Regnum ab haeresibus repurgari possit. Neque vero infitior me istud consilium suaे Maiestati dedisse et aliis quibusdam revelasse, qui apud eandem plurimum autoritate possunt, ut mihi in persuadendo Regi adiutores essent. Res vero tanti ponderis, quam ante alias omnes occultissime agi opportebat, ne maiorem invidiam atque odium Sanctissimis Christi Vicariis conflaret, vereor plurimum, ne iam ibique manifestata et evulgata sit. Nam idem D.nus Palatinus eandem in suis literis obiecit. Quod si literis mandavit, non est dubium, quin aliquibus eam aperuerit, aliisque multis sit relaturus<sup>241</sup>. Tum recognitet Magnificentia V.ra, quo in statu sim et quae mihi voluntas adsit, ut non merito hinc emergere postulem. Qui haereses promoverint multi ac potentes, hos e medio tollendos cupivi, nec per me stetit, quin capite plecterentur. Quid vero adversum me non

<sup>235</sup> Petrus Bertano OP (1501-1558), epus Fanensis ab a. 1537, annis 1548-1550 et 1551 nuntius ordinarius apud imperatorem Carolum V, SRE cardinalis ab a. 1551.

<sup>236</sup> Sebastianus Pighino (1500-1554), epus Ferentinus ab a. 1548, nuntius extraordinarius una cum Lippomano in Germania a. 1548-1550; una cum illo et cum card. Marcello Crescenzi praefuit secundae parti Concilii Tridentini a. 1551-1552.

<sup>237</sup> De hac legatione Lippomani, cum victoria imperatoris Caroli V de Liga Smalcaldica ad Mulfberg (Mühlberg) 24 IV 1547 reportata coniuncta, vide Introductionem.

<sup>238</sup> Cfr. supra, N. 112. Ambo erant a. 1547 ab imperatore in carcerem coniecti et non nisi a. 1552 liberati sunt, vide Brandi, p.

<sup>239</sup> Ferdinandus I.

<sup>240</sup> De consilio huiusmodi nihil constat.

<sup>241</sup> Hic locus ad verbum adductus est in "postscripto" de 21 VII 1556 (!) ad litteras Vergerii, 20 VII 1556 e Regio Monte ad Christophorum, ducem Wirtembergensem, scriptas (Kausler-Schott, p. 135-136).

molientur, si diutius in eorum conspectu versatus fuero? Exspectandae mihi sunt omnino dirae imprecations, convicia, probra et maiora pericula.

Sed id me inprimis cruciat, quod non solum in Polonia, sed etiam in Germania quidam horrenda spargunt de Ss.mo Domino Nostro; videlicet isti, ut solent, haec esse consilia, quae Sanctitas Sua vult celebrare: amputare capita et similibus crudelibus exemplis saevire. Spargunt istos rumores, quibus mirum in modum impediri negotium sentio, quod Rev.mus et Ill.mus Cardinalis Cararcacolus<sup>242</sup> mihi nuperrime literis suis iniunxit, ut istis persuadeam, qui nationale Concilium cupiunt, rem omnino haereticam esse, ideo iam ab huiusmodi sermone et cogitationibus abstineant, sed generale Concilium exspectent, quod propediem Sanctitas Sua cogere iam decrevit<sup>243</sup>.

Sic, inquam, hoc tempore plurimum sudo. Et quidem nonnulla mihi fructum aliquem faciendi aut procrastinandi spes esset pro Suae Sanctitatis voto. Sed plura mea consilia iam divulgata sunt ac patefacta, mihi ab omnibus condemnari videor. Omnia aures mihi occlusae, animi alienati, exasperati videntur. Atque, ut uno verbo dicam, nisi me aliquot ex istis Rev.mis solarentur, atque in primis Rev.mus Archiepiscopus, ad quem veluti ad asylum confugio, ignoro certe, ubinam a vitae periculo tutus esse queam. Ita undique famam meam impetri ac lacerari sentio. Quum autem exhausto conviciis pectori, ipsis verba desunt, sibi satis notum esse dictitant, cur Cardinalis galerum assequi non possum, quasi vero impie Deo succensere debeam, quod me ex legitimo connubio nasci non permiserit. Evidem mihi satis est Christianis parentibus fuisse progenitum, quod certe convicium huius non facio.

Hoc certe mihi gravissimum dolorem parit, quod epistolam quandam, variis linguis excusam, passim vagari audio, in qua (quando Reverendissimo piae memoriae Cardinali Crescentio, Legato in Tridentina Synodo, affui)<sup>244</sup> mihi meisque consiliis tribuitur, quidquid in ea Synodo transactum esset, atque illud in primis, quod Lutherani non sint auditi et in colloquium non fuerunt admissi, quod iure fuisse factum dico, fateorque ingenue me semper in ea fuisse sententia, eos, qui extra Ecclesiam sunt, ad colloquium de rebus Ecclesiae admitti non debere<sup>245</sup>. At illi, qui perperam de toto hoc negotio sentiunt, cum primum de celebrando Concilio verba faciam, dubium non est, quin mihi obiificant, num tale id futurum sit, quale consului et transegi. Neque quod Tridenti celebratum erat, in quo pars altera non audiretur.

Magnificentia tua, cum Clarissimis Fratribus suis, D.no Francisco, Reipublicae Venetorum lumine, ac D.no Paulo, tantam exhibuerunt humanitatem, tantisque honoribus Ss.mum Dominum Nostrum affecerunt Venetiis,

<sup>242</sup> Probabiliter malitiose corruptum nomen Caroli Carafa, ut appareat in versione Italica, quae divulgari debebat.

<sup>243</sup> Quod ex parte verum est, cfr. litteras Lippomani ad Ioannem Carafa, 7 VII 1556 datas (N. 103).

<sup>244</sup> Marcellus Crescenzo (1500-1552), SRE card. ab a. 1542, collegio legatorum in secunda parte Concilii a. 1551-1552 praefectus.

<sup>245</sup> Vide responsum ipsius Lippomani ad hanc obiectiōnē in N. 111.

cum esset in minoribus<sup>246</sup>, ut certo sciam (quandoquidem gratissimus est) cumprimis cupere vicissim in vobis gratificari. Idcirco Magnificentiam tuam precor, ut iam meo nomine ad guttulam suaे gratiae exerat, et me ab istis molestiis ac periculis eruendum et liberandum curet. Sciatque Sua Sanctitas in me consultum esse, ne deinceps mea opera in istis negotiis utatur, propter odium maximum, quod mihi conflatum est. Reputet, num mihi Sanctitas alium sufficere velit, aut forte in Regnum istud Nuntium nullum posthac mittere. Quod mihi magis probatur, non enim hic ullo in honore aut pretio amplius esse poterit. Deinde licet a vobis transactum fuerit Religionis negotium, nihil tamen hic efficiemus, isti enim pro libidine sua Ecclesiam reformare volunt. Unde periculosissimum nascetur schisma, et Nobiles doctrinae uni adhaerent, Episcopi aliam sequentur. Non tamen omnes Episcopi. Scio enim aliquot eorum claudicare, parumque abesse, qui Palatino ipsi (de quo iam supra memini) atque aliis adstipulentur. Verum agat Sanctitas Sua prout videbitur in mittendo mihi successore vel non mittendo, modo hinc emergam, idque quam primum.

Quis autem intueri et ferre possit, ut publice in Bacchanalibus Histriones in arenam, vestibus Monachorum et Cardinalium induiti, prodeant, in contemptum et vituperium manifestissimum Ordinis Ecclesiastici, veluti meo tempore hic factum est? Quis, quaeso, istas difficultates et convicia devorare possit, nec vitae discrimina curare? Illi quidem non invideo, cum certe me non esse agnosco, qui praestare istud possit. Neque iam me hic quicquam profuturum spero. Exempli gratia, equidem totis viribus sum conatus, ut Conventum impedirem, qui feriis Divi Bartholomaei celebrari debuit, sed frustra laboravi [46]. Frustra, inquam, animi et corporis vires attrivi in rhe- da cum Rev.mo Archiepiscopo per Maiorem et Minorem Polonię visitando, obtinendo, ut Ser.mus Rex mandata emiserit adversus ea, quae in superioribus Comitiis fuerunt constituta<sup>247</sup>, quod me cum maximis adversariorum fremitibus effecisse Ss.mo Domino Nostro literis significavi.

Verum eo magis timeo, ne ex Germania, et praesertim ex Helvetiis sex doctissimos et praestantissimos theologos istinc huc accersant. Hoc enim persuaserunt huc ad nos Papam aliquot ex suis theologis, qui partes nostras tueantur. Ac licet dixerim et ultra inculcaverim nil tale cogitandum, nec Sanctitatem Suam missuram, neque unquam assensuram esse huiusmodi Co-

<sup>246</sup> Franciscus (1477-1558), orator olim Venetus apud regem Romanorum Vindobonae a. 1534-1536 et 1540-1541 apud imperatorem Carolum V in Germania, membrum Consilii Decem virorum, et Paulus (1510-1566), etiam per multos annos membrum Consilii Decem virorum. Ioannes Petrus Carafa degebatur Venetiis a. 1527-1536, quo tempore Petrus Contarini non erat adhuc sacerdos (cfr. G. Gullino, *Contarini Pietro*, DBI, XXVIII, p. 265-267).

<sup>247</sup> Loquitur hic procul dubio de decretis proscriptionis contra Ioannem Łaski, Franciscum Lismannum, Stanislaum Lutomirski et alios latis (cfr. N. 86), quibus violari decreta (statuta) comitiorum Petricoviensium a. 1555 existimat.

mitia, quae tandem in Concilium Nationale delaberentur<sup>248</sup>, isti nihilominus ut quod cupiunt assequantur, huc Theologos peregrinos adversarios advocare volunt. Cogitet Magnificentia tua, quomodo scilicet vinci insolecent, quae consilia capessent, quam dira contra nos molientur. Solus Deus novit, quem sit nobis [.....] res enim statum infelicem habere video. Bene valeat Magnificentia tua. Loviciis, XXI Iulii M.D.LVI.

P.S. Totus sum in cogenda Episcoporum ac Praelatorum omnium huius Regni Synodo, quam auspicabor Petricoviae. Duo me isthic obtinere posse spero, primo ut magna vis pecuniae colligatur: spero item accessurum Pontificis Symbolum, cuius ille spem mihi iniecit, atque hoc pacto res nostras tuebimur, in primis placando ac silentium imponendo importunis istis morosis. Hoc alias feliciter successisse non vane a nobis comprobatum est. Deinde ut aliqua [correctio] morum Ordinis Ecclesiastici fiat, qui (ut verum fatetur) pessimis sunt exemplo. Verum dolendum est plurimum, quod morum correctio exequi iam fructus esse solet, cum fruendus sit nobis et retinendus splendor noster atque authoritas, ideo execrandi isti haeretici obganniant clamantque doctrinam emendandam esse. Non satis est illis, quod Sacerdotes honesti sint ac prudentes, sed vellent illos omnes abolere, neque vero contenti sunt, quod Papa sit modestus bonique exempli et qui sacra non vendat, sed ut nullum penitus, nec bonum nec malum, Papam esse. Haec certe dura et gravia sunt. Propterea dico male nobiscum agi. Die 22 Iulii 1556.

Aloisius Lipomanus Nuntius

<sup>(a)</sup> P.S. Hodie literas accepi Venetiis, quae dupli moerore me affecerunt. Quidam enim intimus et cognatus ad me scribit: postquam fama officiorum, quibus defunctus sum, et contentionum, quae mihi in his partibus acciderunt, atque in primis cum Palatino, ad Magnificos Dominos meos Venetos venisset, eos moleste tulisse summoque moerore affectos ac de me conquestos fuisse. Se enim vereri dicunt, eo quod sim Venetus, ex tanta familia, ne Germani et Poloni eo adducantur, ut credant ipsos Dominos Venetos omnibus meis rationibus assentiri, atque hoc pacto id ipsum odium subeant, quod passim in Papam eorum, et forsan aliquando eadem pericula. Ac, ut dicam quod res est, isti non obscure innuunt, propterea quod sim Venetus, placere Dominis Venetis quidquid ago, meque talia facturum minime esse, si ea Domino illorum displicere scirem. Denique, ut omnibus modis commodo rerum et negotiorum Ss.mi Domini Nostri consulatur, Domini mei cum istis gentibus non omittent, ac ut vitae meae prospiciant, consultum erit, ut revocari possim. Aliam quidem ob causam et maiori cum honore revocari voluissem,

---

<sup>248</sup> Cfr. promissionem Vergerii in litteris ad Christophorum, ducem Wirtembergensem, 20 VII 1556 datis, ubi affirmat se ad comitia ad s. Bartholomaeum indicta iturum esse, si eadem comitia in concilium nationale commutentur (Kausler-Schott, p. 134).

sed facta est. Ita se res habeat, ut de vita, non de honore sit cogitandum, modo deerunt postea honori, si vivus sim, curare queam. Item valeat Magnificentia V.ra.

Idem Aliosius Lippomanus Nuntius<sup>a)</sup>

a-a) *Haec pars deest in versione Italica.*

### A. 29.

**Litterae commendaticiae  
a Paulo IV, pontifice maximo,  
cursori eius in Poloniam eunti datae**

Romae, 1 VIII 1556.

*Praesentium litterarum exhibitorem, cursorem suum, cum magni momenti litteris ad res publicas spectantibus, regi Sigismundo Augusto, nuntio (Lippomano) aliisque destinatis, per equos dispositos in Poloniam missum, commendat.*

**Min.: AV, Arm. 42, ms. 8 f. 84r. In f. 84v manu Ioannis Barengo: "Prima Augusti 1556, a<sup>o</sup> 2<sup>o</sup>. Passus pro eo, qui ibit in Poloniam".**

[Paulus Papa IIII]  
universis et singulis, praesentes litteras inspecturis, salutem etc.

Cum harum exhibitorem<sup>a)</sup>, cursorem nostrum<sup>b)249</sup>, per equos dispositos in Poloniā mittimus cum variis nostris litteris ad Episcopum Veronensem, nostrum et Sedis Apostolicae in eo Regno Nuntium, et Car.mum in Christo filium nostrum Sigismundum, Regem Poloniae, et alios directis, ad bonum publicum eius Regni pertinentibus, omnes et singulos reges, principes, urbium gubernatores, arcium praefectos, militum duces, seu eorum locum tenuentes, et alios quorumlibet regum seu principum ministros seu officiales hortamur in Domino et requirimus, eis vero, qui sub temporali nostro et Sanctae Romanae Ecclesiae dominio sunt, mandamus et praecipimus, ut dicto<sup>a)</sup> Cursori equos et viae duces dari iubeant; et ad quaecumque loca pervenerit,

---

<sup>249</sup> Is erat Iacobus Bannisio, cfr. N. 113.

eum libere, tuto ac sine ullo impedimento, una cum dictis litteris et rebus suis et duce itineris transire permittant; ac si opus fuerit, etiam salvum conductum illi praebeant, eumque benigne in omnibus rebus, intuitu nostro, tractandum current. Quod nobis gratum admodum erit et, si occasio oblata fuerit, eorum, qui nostro et Sanctae Romanae Ecclesiae temporali dominio subiecti non sunt, obsequium, prout conveniens fuerit, compensare parati erimus. (c) Datum Romae, apud S[anctum] P[etrum] etc., die prima Augusti 1556, anno 2<sup>o</sup>.

Io[annes Barengus]<sup>c)</sup>

a) *Sequitur expunctum: N*  
b) *Adscriptum supra.*

c-c) *Manu Ioannis Barengo.*

## A. 30.

### Confessio fidei in synodo provinciali Loviciensi tradita

Lovicii, 11 IX 1556.

*Confessio fidei catholicae, ex scriptis s. Thomae Aquinatis a professoribus Universitatis Lovaniensis composita et doctrina de Sanctissima Trinitate, ex s. Augustino deprompta, suppleta et aducta.*

**Or.:** Kraków, BCz, ms. 2242 p. 88-94 (inter or. *Decreta et constitutiones synodi provincialis Loviciensis*)  
- **Ed.:** Ulanowski MHUS, p. 428-432.

**Cop. ex apographo a Lippomano Romam transmisso** (cfr. N. 113).

**Cop. coeva:** Milano, BA, ms. D 175 inf, f. 143r-145v (non accessibilis).

**Cop. XVI saec.:** Roma, APUG, ms. 588 f. 156v-163r.

**Cop. XVI saec.:** Torino, AS. Racc. Mongardino, ms. 82 f. 317v-320v.

**Cop. XVII saec.:** BV, Barb.Lat. 851 f. 296v-302v.

- **Ed.:** Rykaczewski I, p. 40-44.

**Cop. XVII saec.:** Venezia, BM, Ms. It. V 16 (5668) f. 302v-307r.

**Cop. XVII saec.:** AV, F.Borghese I 825-827 f. 26r-34r

**Ed.:** Martène-Durand VIII, col. 1445-1448 (origine scripti minime annotata).

- **Reed.:** Mansi SCS V, col. 703-706.

Formula Christianae et Catholicae Fidei,

tradita in Sacra Synodo Provinciali Lovicii celebrata Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto, die undecima mensis Septembris,

praesidentibus in ea Rev.mo D.no Aloysio Lippomano, Episcopo Veronensi, Nuntio Apostolico, et Rev.mo D.no Nicolao Dziergowski, Archiepiscopo Gnesnensi, Legato Nato et totius Regni Poloniae Primate, quae omnibus Ecclesiis Provinciae eiusdem inviolabiliter servanda et tenenda mandatur.

Articulus primus. Principio simbolum Apostolorum Nicenum et Constantinopolitanum, simbolum etiam divi Athanasii recipimus, veneramur et complectimur, omnibusque recipiendum, venerandum et amplectendum mandamus.

2. Iuxta quae simbola certa et firma fide credimus Sanctam Trinitatem, id est Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, unum Deum omnipotentem, unius essentiae, unius potestatis, creatorem omnium creaturarum, a quo omnia, per quem omnia, in quo omnia.

3. Eadem fide credimus Patrem a semet ipso esse, non ab alio, Filium a Patre genitum, Deum verum de Deo vero, lumen verum de lumine vero, non tamen duo lumina, sed unum lumen.

[89] 4. Eadem pariter fide credimus Spiritum Sanctum a Patre et Filio aequaliter procedere, consubstantialeque Patri et Filio ac coaeternum esse, qui super Apostolos in linguis igneis descendit, et a quo totum corpus Ecclesiae sanctificatur, vivificatur et regitur, atque in eo manet in aeternum.

5. Simul et illud credimus et confitemur aequae Filio et Spiritui Sancto, atque Deo Patri cultum latriae praestari debere, aequae Filium et Spiritum Sanctum atque Patrem adorandum et glorificandum esse, quandoquidem tres personae Deus unus est, et per Christum nos quidem accessum ad Deum Patrem habere, esse illum advocatum et mediatorem nostrum secundum humanam naturam, qua minor est Patre, secundum divinam vero aequalem esse Patri, et eodem cum illo et Spiritu Sancto honore afficiendum<sup>250</sup>.

6. Credendumque est septem esse Ecclesiae Sacraamenta a Christo instituta, quae sunt: Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Poenitentia, Extrema Unctio, Ordo et Matrimonium, per quae quamvis externa et corporalia signa Deus invisibiliter, sive per bonos sive per malos ministros, nostram salutem operatur.

---

250 Supradicti 5 articuli, non tam - ut Lippomanus affirmat - ex scriptis Sancti Augustini de SS.ma Trinitate (cfr. N. 113), quam potius ex Symbolo s. Athanasii, quod s. Augustinus commentatur, transumpti, in praesentem confessionem introducti erant tamquam responsum ad antitrinitariam fidei confessionem 22 I 1556 a Petro Gonesio prolatam (vide N. 113). Reliqui 32 articuli ad verbum transcripti sunt ex Confessione, 32 punctis constante, 6 XII 1544 imperatori Carolo V a professoribus Universitatis Lovaniensis proposita (publicata a P. F. X. De Ram, *Disquisitio ac dogmatica declaratio a theologis Lovaniensibus edita anno 1544*, "Mémoires de l'Académie Royale de Bruxelles", 14 /1841, p. ), qui decreto 14 V 1545 lato eos concionatoribus totius Imperii tamquam obligatorios imposuit. Postea hi articuli usque ad 59 aucti et deinde explicati sunt a praecipuo eorum auctore, Ruardo Tapper (*Explicatio articulorum venerandae facultatis sacrae theologiae generalis studii Lovaniensis*, Lovanii 1565-1566), cfr. Pontien Polman, *L'Élement historique dans la controverse religieuse du XVI<sup>e</sup> siècle*, Gembloux 1932, p. 335.

7. Baptismus omnibus ad salutem est necessarius, etiam infantibus, per quem peccata plene tolluntur, et fiunt filii Dei et heredes vitae aeternae, nec unquam est iterandus.

8. Poenitentiae Sacramentum, quod post Baptismum omnibus relapsis est ad salutem necessarium, complectitur contritionem, confessionem et satisfactionem.

9. Contritio est dolor de peccatis, propter Dei offensam susceptus, cum proposito confitendi et satisfaciendi, non autem (ut quidam hoc saeculo pertiniose docent) terror conscientiae, propter apprehensum gehennae supplicium peccatis debitum, [90] praeparat tamen hic terror et gehennae metus ad veram contritionem.

10. Confessurus diligentiam legitimam adhibere debet, quo Sacerdoti, iudici suo, manifestet omnia peccata sua mortalia, etiam occulta cordis, ut ab eis per illum absolvatur, cuius absolutionis minister est solus Sacerdos, secundum Ecclesiae ritum consecratus.

11. Satisfactio est persolutio poenae plerumque adhuc debitae, remissa iam culpa, nam omnem poenam peccato debitam semper condonari culpa remissa erroneum est et Scripturis Sacris adversatur.

12. Certa fide tenendum est hominem habere liberum arbitrium, quo potest male et, cum gratia Dei, bene agere, et post peccatum mortale admissum, Deo adiuvante, poenitere et peccatorum remissionem consequi.

13. Ad iustificationem ante omnia necessaria est in adultis fides, qua certo credimus Christum Iesum, Dei Filium, nobis propitiatorem esse pro peccatis nostris in sanguine ipsius, sine qua nullis nostris operibus nullaque poenitentia iustificatio obtineri potest, sicut nec fide sola, sine poenitentia et proposito vivendi secundum mandata Dei.

14. Fides, qua quis formiter credit et certo statuit propter Christum sibi remissa esse peccata, seque possessorum vitam aeternam, nullum habet in Scripturis testimonium, immo eisdem adversatur, etiamsi firma et certa spe exspectare debemus in hac quidem vita per Sacramentum Baptismi et Poenitentiae peccatorum remissionem, in saeculo autem futuro vitam aeternam<sup>251</sup>.

---

<sup>251</sup> Ex omnibus articulis hic acerrimas "protestantium" reclamationes peperit (cfr. Wojtyska PP, p. 94-95). Andreas Fricius Modrzewski postea ad Ioannem Tarnowski scribebat: "Non ita pridem vidimus formulas fidei (si diis placet) Christianae in quadam synodo, cui papae legatus praererat, compositas, quae quidem formulae omnibus provinciae illius ecclesiae inviolabiliter servandae et tenendae propositae sunt. In eis formulis et communio sub una speci laicorum, et coram imaginibus procubitus, et ignes purgatori post hanc vitam, et id genus pleraque laudantur, probantur, confirmantur. Ille vero articulus an non omnium vanissimus visus est: Fides, qua quis firmiter credit et certo statuit propter Christum sibi remissa esse peccata seque possessorum vitam aeternam, nullum habet in Scripturis testimonium, immo eis adversatur. Adeo id et similia temere et inconsiderate dicta et scripta in vulgus apparuerunt, ut etiam doctores ipsos et approbatores pudicum esset usque ad inficiationem suorum dogmatum. Quae tamen ipsa coryphaei illius Romani ducti et impulsu prescripta fuisse constabat" (Kumaniecki III, p. 15; cfr. ibidem p. 212). Ipse Paulus Głogowski, synodi particeps, nuntium praemonebat articulum hunc adversarios adhuc magis exacerbaturum esse (cfr. eius epistulam ad Hosium, 30 IX 1556, Hipler-Zakrzewski HE II, p. 759).

15. Itaque quandiu inter hostes nostros et adversarias potestates [91] hic vivimus, nulla nobis est securitas, sed cum timore et tremore (iuxta sententiam Apostoli) nostram salutem operari debemus<sup>252</sup>; et secundum varias animorum nostrorum affectiones, nunc magis sperare, nunc magis timere, simpliciter tamen magis et frequentius de misericordia Domini sperandum est, quam formidandum de severitate.

16. Opera bona omnibus adultis sunt ad salutem necessaria, et cum ex fidei et charitatis spiritu proficiscuntur, ita grata sunt Deo, ut eis, tanquam iustum mercedem, vitam retribuat aeternam.

17. Confirmatio et Extrema Unctio Sacraenta sunt a Christo instituta, sed non, ut duo praecedentia, ad salutem necessaria; ex contemptu tamen illa omittere, peccatum mortale est.

18. In Eucharistiae Sacramento est re ipsa verum corpus Domini Nostri Iesu Christi, illud ipsum, quod de Virgine natum et in Cruce passum est.

19. In Eucharistia non manet panis et vinum, sed haec in corpus et sanguinem Christi admirabili potentia verbi illius sunt conversa, manentibus tantum panis vinique speciebus. Unde certa fide tenendum est sacram Eucharistiam sancte a nobis adorari, sive in missa sive extra missam, ubicunque reposita fuerit, aut quoties in supplicationibus publicis a Sacerdote circumfertur.

20. Non est laicis necessaria ad salutem communio sub utraque specie, iustisque de causis ab Ecclesia sancitum est, ut illis sub una panis tantum specie Sacramentum communicetur, in quo carnem et sanguinem, atque ita totum Christum sub una specie sumunt.

21. Sacrificium missae ex institutione Christi tam vivis prodest, quam defunctis.

[92] 22. Solis Sacerdotibus, secundum Ecclesiae ritum ordinatis, data est a Christo potestas consecrandi verum corpus Christi et sanguinem.

23. Matrimonium contractum et consummatum inter Christianos est indissolubile, qualiscunque fiat alter coniugum, sive adulter, sive sterilis, sive haereticus.

24. Nunquam licet Christiano post divortium contrahere matrimonium, vivente eo, cum quo prius legitime contraxerat.

25. Matrimonia contracta contra Canones ipsa dirimentes, simpliciter sunt irrita et nulla.

26. Firma fide tenendum est, unam esse in terris veram atque Catholicam Christi Ecclesiam, eamque visibilem, quae ab Apostolis fundata, in hanc usque nostram aetatem perdurans, retinet et suscipit quicquid de fide et religione tradidit, tradit et traditura est Cathedra Petri, super quam ita a Christo, suo Sponso, est aedificata, ut in his, quae fidei sunt et Religionis errare non possit.

---

252 Cfr. Phil. 2, 12.

27. Extra hanc nulli speranda est salus, suntque extra eam haeretici, schismatici et excommunicati, unde vehementer formidanda est excommunicatione, nec humana, sed divina est excommunicandi potestas.

28. Unus est Ecclesiae Summus Pastor, cui omnes oboedire tenentur, ad cuius iudicium controversiae, quae super fide et Religionem existunt, sunt referendae.

29. Summam hanc praeposituram primus omnium gessit Sanctus Petrus, verus Christi in terra Vicarius et totius familiae eius Pastor; post Petrum vero, ex Christi institutione, omnes deinceps Pontifices, Petri in Cathedra Successores.

30. Certa fide tenenda sunt, non solum quae Scripturis expresse [93] sunt prodita, sed etiam quae per traditionem Ecclesiae Catholicae credenda accepimus et quae definita sunt super fidei et morum negotiis per Cathedram Petri vel per Concilia generalia legitime congregata.

31. Constitutiones ecclesiasticae de ieuniis, festis et abstinentia ciborum aliisque multis obligant in conscientia, etiam extra casum scandali.

32. Recte fit in Ecclesia, quod Sanctos in Coelis cum Christo agentes veneramur et invocamus, ut pro nobis orient, quorum etiam meritis et intercessione Christus nobis hic multa largitur, alias non largitus, per quos etiam miracula multa in terris operatur.

33. Quapropter sancte et religiose faciunt, qui loca eis dicata, una cum ipsorum reliquiis, religiosa pietate visitant et hoc modo ab ipsis opitulacionem quaerunt.

34. Gratus est etiam Deo imaginum usus, recteque coram eis procumbimus invocaturi Sanctos, quos repreäsentant.

35. Firmiter credendum est, post hanc vitam Pugatorium esse animarum, in quo solvitur poena peccatis adhuc debita, eisdem tamen subvenitur Sacrificio altaris, oratione, ieunio, eleemosina, aliisque bonis operibus vivorum, sicut et indulgentiis, quo citius ab ea liberentur.

36. Animae defunctorum purgatae mox regnant cum Christo in Coelis et animae impiorum hinc migrantes sempiternis inferni traduntur suppliciis.

37. Recte vota Deo facimus, tam monastica quam alia, et facta obligant apud Deum, nec adversantur libertati Evangelicae, quae a peccatis libertas est, et iis, quae Spiritum nostrum quoquo modo impediunt, quominus totus Deo serviat, [94] non autem a voti vel iuramenti obligatione, nec ab oboedientia magistratus ecclesiastici vel saecularis.

<sup>(a)</sup>-Ego A[loisius] Lipomanus, Epus Veronensis, Nuntius Apostolicus, subscripsi manu propria.

Ego Nicolaus, Aepus Gneznensis etc.<sup>253</sup>, manu sua.

Ego Andreas, Epus Cracoviensis<sup>254</sup>, approbo manu propria.

<sup>253</sup> Dzierzgowski.

<sup>254</sup> Zebrzydowski.

Iohannes Wladislaviensis et Pomeraniae Epus<sup>255</sup> scripsit manu propria.  
 Andreas Czarnkowski, Epus Poznaniensis, manu propria subscrispi.  
 Andreas Epus Plocensis<sup>256</sup> approbo et ita profiteor.  
 Stanislaus, Epus Warmiensis<sup>257</sup>, manu propria subscrispi.  
 Iohannes, Epus Przemisliensis<sup>258</sup>, approbo.  
 Iacobus, Epus Chelmensis<sup>259</sup>, ut exhibeant Sacrae Regiae Maiestati sub-  
 scrispsit.

Leonardus, Epus Camenecensis<sup>260</sup>, credendo et affirmando subscrispit.  
 Ego Iohannes, Przemisliensis Epus, nomine Rev.mi Archiepiscopi Leopo-  
 liensis<sup>261</sup>, ut nuntius subscrispi.

Ego Stanislaus Lithwanus, Canonicus Vilnensis, nomine procuratorio  
 Rev.mi D.ni Episcopi Vilnensis<sup>262</sup> subscrispi approbando.

Ego Iohannes Rzeciczicki, Archidiaconus Luceoriensis, nomine procurato-  
 riorum Rev.mi D.ni Episcopi Luceoriensis<sup>263</sup> approbo et subscribo.

Ego Gregorius Cervinus Poznaniensis, nomine procuratorio Rev.mi D.ni  
 Iohannis, Episcopi Mednicensis<sup>264</sup>, approbo et subscribo.

Horum autem articulorum intellectum et explanationem clariorem volen-  
 tes scire videant Confessionem fidei, autoritate Sinodi Piotrkoviensis [sic]  
 de anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo primo editam<sup>a)</sup>.

a-a) *Deest in copiis a Lippomano provenien-  
 tibus. In orig. Cracoviensi sequuntur 17  
 decreta reformatoria et subscriptiones*

*omnium participum synodi (etiam a capitulis  
 cathedralibus delegatorum), ed. Ulanowski  
 MHUS, p. 432-439.*

## A. 31

**Nicolaus Dziergowski, aepus Gnesnensis  
 Paulo IV, pontifici maximo**

Lovicii, 21 IX 1556.

<sup>255</sup> Drohojowski.

<sup>256</sup> Noskowski.

<sup>257</sup> Hosius.

<sup>258</sup> Dziaduski.

<sup>259</sup> Uchański.

<sup>260</sup> Słonczewski.

<sup>261</sup> Ioannes Dziaduski nomine Felicis Ligęza.

<sup>262</sup> Stanislaus Gabrielowicz Narkuski († 1565), canonicus Vilnensis ab a. 1550 (postea epus Samo-  
 gitiensis), nomine Valeriani Protasewicz, epi Vilnensis.

<sup>263</sup> Ioannes Rzeczycki nomine Ioannis Andruszewicz.

<sup>264</sup> Ioannes Domanowski, epus Mednicensis vel Samogitia. De eius procuratore nullam invenire  
 potui informationem.

*Pro brevi laudatorio sibi misso gratias agit et promittit se una cum nuntio in proxime futuris regni comitiis rem catholicam alacriter defensurum esse. De synodo autem nuntium, qui ipse illi praefuit, iam ei perscripsisse sperat.*

**Cop. coaeva:** Milano, BA, ms. D 175 inf, f. 145v-146r (non accessibilis).

**Cop. XVI saec.:** Roma, APUG, ms. 588 f. 163r-164v.

- Ed.: Rykaczewski I, p. 44-45.

**Cop. saec. XVI:** Torino, AS, Racc. Mongardino, ms. 82 f. 320v-321r.

**Cop. XVII saec.:** BV, Barb.Lat. 851 f. 303r-304r (datum 22 IX).

**Cop. XVII saec.:** Venezia, BM, Ms.It V 16 (5668) f. 307r-v.

- Ed.: Tacchella PAV, p. 181.

**Cop. XVII saec.:** AV, F. Borghese I 825-827 f. 34r-35v.

**Ed.:** Martène-Durand VIII, col. 1448-1449 (origine scripti non adnotata).

- Reed.: Mansi SCS V, col. 706-707.

Ss.mo ac Beatissimo in Christo Patri et Domino, D.no Paulo,  
divina providentia Papae Quarto, Sacrosanctae Romanae ac Universalis  
Ecclesiae Summo Domino [sic] Clementissimo

Ss.me ac Beatissime Pater etc.

In hac nostra perpetua cum haereticis [163v] horum temporum lucta nihil mihi accedere potuit optabilius, quam quod Sanctitatem V.ram gratam esse meorum qualiuncumque laborum, quos assidue in vinea Domini libenter impendo, ex litteris illius intellexeram<sup>265</sup>. In quo studio, ut graviter perseverarem, non solum me paterne monet, sed etiam ut ad evitanda pericula quae Ecclesiae Catholicae ab haereticorum fautoribus in futuris comitiis imponent, consilia mea cum Rev.mo D.no Epo Veronensi, Nuntio Sanctitatis V.rae, alioquin viro prudentissimo et integerrimo, coniungam ipsique in omnibus adsim, sancte et pie me cohortari dignata est. Pro qua Sanctitatis Vestrae clementi et benigna de me persuasione gratias eidem immortales ago, enitarque [164r] sedulo, ut iniuncto mihi munere eo alacrius pro posse meo satisfacere possim. Etsi autem officii mei esse videbitur, ut ea, de quibus in proxime praeterita nostra Synodo Provinciali egimus, Sanctitati Vestrae describerem, tamen cum ea omnia Rev.mus D.nus Episcopus Veronensis, qui nostrae Synodo non modo interfuit, sed etiam praefuit, Sanctitati V.rae diligenter perscriperit, longioribus meis litteris gravissimis illam Reipublicae Christianae negotiis intentam, interpellare nolui. Quod reliquum est, summis votis exopto, ut Deus Optimus Maximus Sanctitatem V.ram diutissime ac felicissime conservare dignetur incolumem, pro sui nominis gloria et Chri-

<sup>265</sup> Breve pontificium ad aepum, verisimiliter 1 VIII 1556 datum, non est repertum.

stianae Reipublicae tranquillitate. Datum Lovitii, XXI men[164v]sis Septembris, Anno Domini 1556.

V.rae Sanctitatis

humillimus Sacellanus et creature  
Nicolaus Archiepiscopus Gnesnensis

**A. 32.**

**Paulus IV, pontifex maximus**  
**Nicolao Dzierzgowski, aepo Gnesnensi**

Romae, 2 XII 1556.

*Animum eius sacerdote dignum et diligentiam in defendenda fide catholica, praesertim in novissima synodo Loviciensi exhibitam, laudat. Hortatur eum, ut huiusmodi conatus et actiones pergat.*

**Reg.:** AV, Arm. 42, ms. 8 f. 328r. In f. 328v alia manu: "2 Decembris 1556, a<sup>o</sup> 2<sup>o</sup>. Amanter".

- **Ed.:** Raynaldus XIV, p. 606-607.

(a- Ven.li fratri Nicolao<sup>a)</sup> Archiepiscopo Gneznensi

Venerabilis frater, etc. Maxima in expectatione sumus, quid in isto conventu actum fuerit: nec possumus non magnopere esse solliciti, verentes, ne Haereticorum fautores (quod Divina misericordia avertat) quippiam eorum, quae adversus Sanctissimae Ecclesiae instituta, et episcoporum auctoritatem temere, ac nefarie moliebantur, effecerint. Non parum tamen animum nostrum superioribus diebus habita Lovitii Synodus recreavit, in qua tu, et reliqui fratres, quemadmodum ex Nuntii nostri literis et ex actis Synodi<sup>266</sup>, quae ad nos una cum literis tuis<sup>267</sup> misit, cognovimus, dignum Sacerdotibus animum declarasti; in primis vero virtus nos et constantia et pietas consolatur tua, cui iam eximum testimonium idem Nuntius noster omnibus literis suis tribuit, ut intelligamus Fraternitatem tuam pro honore, et dignitate,

<sup>266</sup> Epistulam nuntii vide sub N. 113. Cum loquitur de actis synodi, in mente potius habet formulam fidei (A. 30.); aliud documentum nuntius in supranominatis litteris summo pontifici non misit.

<sup>267</sup> Vide supra, A. 31.

qua eminet, Fratrum isthic Ducem esse, et defendendae Religionis ac fidei Catholicae Auctorem, ut debet, et Principem. Quae, quod officiis suis Nuntium ipsum nostrum tam amanter complexa est, quemadmodum is saepe ad nos scripsit, in eo non nos tantum, qui nobis ea tribui censemus, sed beatissimum etiam Apostolorum Principem sibi vehementer obstringit, cuius intercessione, ac meritis tuae istius erga Sedem Apostolicam observantiae, et piorum pro fide, et religione laborum praemium a Deo adepturam esse confidimus, et ut perseveret ita haereticorum pravitati obviam ire et fratres auctoritate sua confirmare, ut merita sua quotidie magis augeat, eam, tamet si hortatione non eget, in Domino horatmusr. Dat. <sup>(a)</sup>Romae apud S[anctum] P[e]trum die 2<sup>o</sup> Decembris 1556, a<sup>o</sup> 2<sup>o</sup>.

Io[annes Barengus]<sup>(a)</sup>

<sup>a-a)</sup> *Manu Ioannis Barengo.*

### A. 33.

**Sigismundus Augustus, rex Poloniae  
Paulo IV, pontifici maximo**

Varsaviae, 11 I 1557.

*Declarat obiectionem sibi a papa in litteris factam, quasi in reprimendis haereticis remissior esset, minus iustum fuisse, cum - rebus nunc maxime perturbatis - sibi persuasum habeat se violenter adversus eos agere non posse; se cupere quidem ablatas ecclesias eis adimere, sed propter bellum Livonicum id nunc facere sibi non licere; attamen una cum senatu edictum tulisse, quo nobilibus usque ad futurorum comitiorum resolutionem id perficere interdicatur. Reducit ei in memoriam vim in expediendis religionis negotiis in Germania ad habitam bella peperisse, et suadet, ut potius correctionem vitae cleri peragendam curet et concilium generale ab omnibus efflagitatum convocet. Nuntium Lippomanum ex Polonia discedentem ei commendat.*

**Reg.:** Warszawa, AGAD, Lib.Legat. 24 p. 1-3.

**- Ed.:** Wierzbowski U, IV, p. 184-185.

### Summo Pontifici

Sanctissime in Christo Pater. Lectis litteris Sanctitatis Vrae, suspicari Eam nonnihil quasi ego in reprimendis haereticis, qui per Regnum meum va-

gantur, essem remissior, intellexi<sup>268</sup>. Quod si tamen Sanctitas Tua et animum meum erga Religionem fidemque Catholicam plenius nosset, et quae sit nunc temporum ratio, quantumque passim ubique iam animorum sibi homines ad res novandas sumpserint, poenitius cognitum haberet, fateretur profecto me haud pessime de Religione meritum esse, ut qui neque violentia huic malo adhibenda, propter difficultatem malignitatemque temporum, neque rursus tantum illi permittendo indulgendoque, ut meum officium desideraretur, ita Ritum Religionemque, per manus mihi traditam, in Regno meo hucusque conservaverim, ut praeter aliquot Ecclesiarum iacturam, quae ab haereticis sunt occupatae, cetera integra atque intacta, et in Ecclesiis antiquus religionis ritus maneret. Quamvis et id, quod a novatoribus Religionis admissum seu violatum est, sarcinatur rursus, Ecclesiaeque in pristinum statum atque cultum restituantur necesse est, quod quidem et nunc illi ipsi coacti fuissent facere, nisi bello Livonico occupatis Nobis cognitionem eius rei ad futura Comitia Regni reiicere necesse habuissemus. Atque, ut id curae mihi futurum est, quo Ecclesiae bonaque earum, per vim ab haereticis adempta, suis Sacerdotibus restituantur, ita et illud singulari studio providi, gravissimoque edicto, assentiente Regni mei Senatu sanxi, ne quis in posterum quicquam, quod a veteri ritu institutoque discreparet, in Ecclesiis ipsis innovare seu immutare auderet<sup>269</sup>.

Utinam vero et funditus pestem hanc magnopere iam corroboratam, modo sine tumultu et perturbatione Regni mei fieri queat, tollere possim, nihil profecto est, in quo magis elaborare vellem. Sed videt Sanctitas Vra, quam cruenta et exitiabilia bella, tum in Germania, tum alibi, ob Religionem excitata fuerint, quod et ego, ne in Regno meo accideret, diligentissime hactenus cavi. Proinde liceat mihi etiam, quaeso, Sanctitatem Tuam hortari atque rogare, ut quam dissensionem in Religione sedari ipsa a me atque comprimi per vim et potentiam cupit, eam potius Sanctitas Tua per doctrinam christianam disciplinamque ecclesiasticam sopiat atque componat. Neque enim horum de Religione dissidorum finem ullum video fore, nisi ut morum atque vitae in Ordine Ecclesiastico fiat correctio et Concilium, quod tantopere et tamdiu efflagitant omnes, indicatur. Cetera ex Rev.mo D.no Aloisio Lipomano Sanctitas Tua cognoscet, cuius virtus, eruditio et integritas vitae cum Sanctitati Tuae non minus quam mihi sit nota, non arbitror eam vel meo vel cuiusquam alterius egere apud Sanctitatem Tuam testimonio. Servet Deus Sanctitatem V.ram toti Christianae Reipublicae diutissime incoluem et felicem. Varschoviae, die XI Ianuarii Anno 1557.

---

<sup>268</sup> Breve ad Sigismundum Augustum, verisimiliter 1 VIII 1556 datum, non est asservatum.

<sup>269</sup> Agitur de decreto, 13 I 1557 promulgato, cfr. supra N. 119.

## A. 34.

**Episcopi Poloni  
Paulo IV, pontifici maximo**

Varsaviae, [circa 11 I] 1557.

*Pro nuntio misso gratias agunt et, rebus tam male in Polonia inclinatis, de quibus Lippomanus Romam redditurus narrabit, auxilium expetunt.*

**Cop. coaeva:** Kórnik, BPAN, ms. 245 f. 85v-86r.

**Paulo IIII Summo Pontifici Archiepiscopus cum Episcopis**

Ss.me et Beatissime in Christo Pater. Immortales equidem Sanctitati V.rae agimus gratias, cum pro ea tam pia et digna Petri Successoris cura atque sollicitudine, quam nostrae pariter et populorum nobis commissorum saluti, tam sollicite et studiose ab initio pontificatus ad hanc usque diem crebris suis, benignis et plane paternis admonitionibus prospicere non prae-termittit, tum vero, quod Rev.mum D.num Epm Veronensem, nuntium suum, virum alioqui doctrina, pietate et aliis virtutibus, quae ad aedificandam Ecclesiam Dei pertinere in primis videntur, ornatissimum, manere nobiscum per tanti temporis spatium passa sit. Qui pro suo singulari in rem Catholica- cam studio atque in gravissimis rebus gerendis dexteritate non solum nos, in mediis fluctibus laborantes, magnopere adiuvit, sed etiam in officio Sacro-sanctae Sedis Apostolicae plurimos hominum regni nostri continuuit. Eam itaque curam et sollicitudinem ut Deus Optimus Maximus in Sanctitate V.ra, pro suae Ecclesiae defensione et conservatione promovere magis ac magis dignetur, suam divinam Maiestatem, licet sumus indigni Episcopi, una cum universo clero atque populo nobis commisso, supplices quotidie exorare non desistimus.

Quo [86r] tandem autoritate Sanctitatis V.rae atque adeo Oecumenici Concilii, quod tantopere omnes, tam Catholici quam haeretici, expetere vi- dentur, desiderata iam pridem tranquillitas Ecclesiae Dei evenire possit! Quod quidem remedium nisi cito ex immensa bonitate Divina Vestraeque Sanctitatis opera labentibus rebus nostris adhibitum fuerit, tantam molem periculorum absque singulari gratia divina humeris nostris fragilibus susti- nere diutius vix poterimus. Sed ante omnia et in quanto discriminé hic versemur, quibusque remediis indigeamus ex eodem Rev.mo D.no Epo Veronensi plenius atque luculentius Sanctitas V.ra intelligere dignabitur. Cui humil- lime supplicamus, ut nos in extremis pene angustiis constitutos, gratia at- que clementia sua paterna non deserat. Datum Varsaviae anno 1557.